An. et vol. CXI 6 Decembris 2019 N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico – Città del Vaticano – *Administratio*: Libreria Editrice Vaticana

ACTA FRANCISCI PP.

EPISTULA APOSTOLICA

Admirabile signum
De praesaepis significatione et bono.

1. Admirabile signum praesaepis, tam aestimatum a christiano populo, affert semper stuporem et admirationem. Repraesentare eventum Iesu nativitatis idem est ac mysterium Incarnationis Filii Dei in simplicitate et gaudio annuntiare. Nam praesaepe sicut vivum Evangelium est, quod oritur e paginis Sacrae Scripturae. Contemplantes Nativitatis spectaculum, invitamur ad iter spiritualiter ingrediendum, attracti humilitate Eius qui factus est homo ut cuique homini occurreret. Et reperimus quod Ipse nos amat ita ut se nobis iungat, ut nos quoque Ipsi iungi valeamus.

Hac Epistula volumus sustinere pulchram traditionem nostrarum familiarum, quae diebus ante Nativitatem parant praesaepe, itemque consuetudinem ponendi illud in locis operis, in scholis, in nosocomiis, in carceribus, in foris... Vere exercitatio est ingenii creativi, quod utitur admodum diversis materiis ad conficienda summi artificii praestantissima parva opera plena pulchritudinis. A parvis ediscitur: cum pater et mater, una cum avis, tradunt hanc laetam traditionem, quae in se divitem spiritualitatem popularem continet. Exoptamus hunc usum numquam deficere; immo, confidimus illum, ubi forte obsoleverit, denuo reperiri et reviviscere posse.

2. Origo praesaepis ante omnia in quibusdam parvis rebus evangelicis de Iesu nativitate Bethlehem confirmatur. Evangelista Lucas simpliciter dicit quod Maria «peperit filium suum primogenitum; et pannis eum involvit et

reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in deversorio » (2, 7). Iesus reclinatus est in praesepi; quod verbum Latine dicitur etiam praesaepium.

Filius Dei, in hunc mundum veniens, invenit locum ubi animalia pascuntur. Fenum fit primus lectulus Illius qui revelabitur ut « panis, qui de caelo descendit » (*Io* 6, 41). Figura haec est quam iam sanctus Augustinus, una cum aliis Patribus, perceperat cum scribebat: « In praesepio positus, cibus noster est factus » (*Sermo* 189, 4). Revera, praesaepe multa mysteria vitae Iesu continet et facit ut ea nostrae vitae cotidianae proxima sentiamus.

Redeamus quidem ad praesaepis originem sicut nos illud intellegimus. Mente nos transferamus Graecium, in Valle Reatina: hic sanctus Franciscus moratus est, probabiliter veniens de Urbe, ubi a Papa Honorio III die XXIX mensis Novembris anno MCCXXIII confirmationem suae Regulae receperat. Post iter suum in Terram Sanctam, illius loci specus praecipue ei prospectum Bethlehem memorabant. Et fortasse Pauperculus permotus est Romae, in Basilica Sanctae Mariae Maioris, musivis operibus ostendentibus nativitatem Iesu, iuxta ipsum locum ubi, secundum antiquam traditionem, axes praesaepis custodiebantur.

Fontes Franciscani exquisitius narrant quod Graecii evenit. Quindecim dies ante Nativitatem Domini, Franciscus vocavit quendam virum loci, nomine Ioannem, et ab illo auxilium poposcit ad desiderium explendum: « Volo enim illius Pueri memoriam agere, qui in Bethlehem natus est, et infantilium necessitatum eius incommoda, quomodo in praesaepio reclinatus et quomodo, adstante bove atque asino, supra fenum positus exstitit, utcumque corporeis oculis pervidere ».[1] Quod audiens, statim hic vir bonus et fidelis cucurrit citius et in praedicto loco, quae sanctus dixerat, praeparavit. Die vicesimo quinto mensis Decembris apud Graecium e pluribus locis pervenerunt fratres et etiam rustici, viri et mulieres terrae illius, ferentes cereos et faces ad illuminandam sanctam hanc noctem. Cum venit Franciscus, invenit praesaepe cum feno, bovem et asinum. Homines qui advenerant coram imagine Nativitatis Domini ostenderunt ineffabile gaudium, sicut numquam antea experti erant. Deinde sacerdos Missarum sollemnia supra praesaepe celebravit, patefaciens vinculum inter Filii Dei Incarnationem et Eucharistiam. In illa occasione, Graecii, statuae non erant: praesaepe factum est et actum ab omnibus adstantibus.[2]

[1] THOMAS DE CELANO, *Vita Prima*, 84: *Fontes Franciscani*, p. 360.
[2] Cfr *ibid.*, 85: FF pp. 360-361.

Ita oritur nostra traditio: omnes circum specum et gaudii pleni, nullo interposito spatio inter eventum factum et participes mysterii.

Primus narrator vitae sancti Francisci, Thomas de Celano, memorat quod illa nocte simplici et commoventi spectaculo additum est donum mirabilis visionis: quidam adstantium vidit enim in praesaepi recubitum ipsum puerulum Iesum. Ab illo praesaepi Nativitatis Domini anno MCCXXIII « unusquisque cum gaudio ad propria remeavit ».[3]

3. Sanctus Franciscus per simplicitatem huius signi magnam operam evangelizationis effecit. Eius magisterium descendit in corda christianorum et usque ad nostros dies manet tamquam sincerus modus nostrae fidei pulchritudinis simpliciter praebendae. Ceterum, ipse locus ubi primum praesaepe perfectum est hos sensus exprimit atque excitat. Graecium mutatum est in refugium animae quae in rupe absconditur, ut sinat se silentio involvere.

Cur praesaepe tantam admirationem suscitat et nos commovet? Ante omnia quia pietatem Dei manifestat. Ipse, Creator universi, ad nostram exiguitatem humiliatur. Donum vitae, semper arcanum nobis, adhuc magis nos allicit, cum videamus Eum, qui natus est de Maria, fontem et tutelam esse omnis vitae. In Iesu Pater dedit nobis fratrem qui venit quaerere nos quando vagamus et cursum amittimus; amicum fidelem qui semper nobis est proximus; nobis dedit suum Filium, qui nobis dimittit et de peccato nos erigit.

Praesaepe praeparandum in nostris domibus adiuvat nos revivere historiam quae evenit Bethlehem. Haud dubie, Evangelia sunt semper fons qui sinit cognoscere et meditari illum eventum; tamen, eius exhibitio in praesaepi nos adiuvat imagines sibi fingere, affectus stimulat, nos invitat ut participes nos sentiamus historiae salutis, aequales eventus qui vivus et praesens est in tam diversis historicis et culturalibus adiunctis.

Peculiari modo a Franciscana sua origine praesaepe est invitatio ut quis possit "sentire", "tangere" paupertatem quam Filius Dei elegit sibi in sua Incarnatione. Itaque simul appellatio est ad eum sequendum in via humilitatis, paupertatis, spoliationis, quae de specu Bethlehem ducit ad Crucem. Appellatio est ad ei occurrendum et misericorditer serviendum in fratribus et sororibus indigentioribus (cfr *Mt* 25, 31-46).

4. Placet Nobis nunc illustrare varia signa praesaepis ut colligamus sensum quem secum ferunt. Primum, signum caeli stellati in tenebris et silentio

[3] *Ibid.*, 86: FF p. 362.

noctis inducamus. Non solum ob fidelitatem erga relationes evangelicas hoc ita facimus, sed etiam propter significationem quam illud continet. Cogitemus quotiens nox involvit nostram vitam. Verumtamen, etiam illis in momentis, Deus nos non relinquit solos, sed adest ut respondeat ad summas rogationes de sensu nostrae exsistentiae: Quis ego sum? Unde venio? Cur hoc tempore natus est? Cur amo? Cur patior? Cur moriar? Deus homo factus est ut daret responsionem his quaestionibus. Eius propinquitas fert lucem ubi est obscuritas et illuminat illos qui tenebras passionis transeunt (cfr *Lc* 1, 79).

Mentionem merentur etiam prospectus qui pars sunt praesaepis et saepe effingunt ruinas domorum et palatiorum antiquorum, quae aliquibus in casibus substituunt specum Bethlehem et fiunt domicilium Sanctae Familiae. Hae ruinae videntur inspirari *Legenda Aurea* fratris Dominicani Iacobi a Voragine (saeculi XIII), ubi legitur de quadam superstitione ethnica secundum quam Ara Pacis Romae corruet quando Virgo pepererit. Ille ruinae sunt ante omnia signum visibile humanitatis delapsae, omnium quae subversa sunt, quae sunt corrupta et demissa. Haec imago edicit quod Iesus est novitas in medio mundi veteris et venit sanare et reaedificare, nostram vitam et mundum ad splendorem originis reducere.

5. Quem animi motum sentire oporteret dum in praesaepi collocamus montes, rivos, oves et pastores! Hoc modo memoramus, sicut prophetae praenuntiaverant, quod omnis creatura participat diem festum adventus Messiae. Angeli et stella crinita sunt signum quod nos quoque vocati sumus ut proficiscamur ad specum petendum et Dominum adorandum.

«Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis» (*Lc* 2, 15): ita loquuntur pastores postquam annuntiatio iis facta est ab angelis. Est monitum pulcherrimum quod per simplicitatem relationis ostenditur. Secus ac tot homines qui intendunt mille res agere, pastores fiunt primi testes illius quod est summum, id est salutis quae iis offertur. Humillimi et pauperrimi ipsi sunt qui noverunt eventum Incarnationis accipere. Deo qui nobis occurrit in Infante Iesu pastores respondent proficiscentes versus Eum, ad conventum amoris et grati stuporis. Hic occursus inter Deum et filios eius, per Iesum, religionem nostram vivificat et efficit eius singularem pulchritudinem ac peculiari modo resplendet in praesaepi.

6. In nostris praesaepibus multas statuas symbolicas solemus collocare, in primis mendicorum et hominum qui nesciunt aliam abundantiam nisi illam

cordis. Etiam illi stant proximi puero Iesu pleno iure, ita ut nemo possit eos expellere vel auferre a cunis tam subitaneis, quod pauperes circa eas nullo modo dissonant. Immo, pauperes privilegio donati huius mysterii sunt et saepe illi qui magis valent agnoscere praesentiam Dei inter nos.

Pauperes et simplices in praesaepi recordantur quod Deus fit homo pro illis qui magis sentiunt necessitatem eius amoris et flagitant eius proximitatem. Iesus, « mitis et humilis corde » (*Mt* 11, 29), natus est pauper, vitam egit simplicem ut nos doceret summa intellegere et ex iis vivere. De praesaepi emergit clarus nuntius ne sinamus nos decipi divitiis et tot felicitatis caducis propositis. Palatium Herodis est in recessu, clausum, surdum ad gaudii nuntium. Nascens in praesaepi, Deus ipse inchoat unicam veram eversionem quae dat spem et dignitatem exheredibus, reiectis: eversionem amoris, eversionem pietatis. E praesaepi Iesus miti potentia proclamat vocationem ad communicandam cum ultimis viam versus mundum magis humanum et fraternum, ubi nemo sit exclusus et reiectus.

Saepe pueri – verum etiam adulti! – ad praesaepe alias statuas amant addere quae aliquem nexum cum relationibus evangelicis non videntur habere. Atqui, hoc ingenium vult ostendere in hoc novo mundo inaugurato a Iesu spatium adesse pro toto humano atque omni creatura. Pastor et faber, pistor et musici, mulieres quae ferunt hydrias cum aqua et pueri ludentes...: omnes ostendunt cotidianam sanctitatem, laetitiam res cotidianas extraordinario modo perficiendi, quando Iesus nobiscum suam divinam vitam communicat.

7. Praesaepe paulatim nos ducit ad specum, ubi invenimus statuas Mariae et Ioseph. Maria mater est quae contemplatur infantem suum eumque invisentibus ostendit. Imago eius nos inducit ad cogitandum de magno mysterio quod involvit hanc puellam, cum Deus ad ostium pulsavit eius cordis immaculati. Ad nuntium angeli, qui ab ea petivit ut fieret mater Dei, Maria respondit plena et summa oboeditione. Verba eius: « Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum » (*Lc* 1, 38), sunt nobis omnibus testimonium cum fide se committendi voluntati Dei. Per illud « Fiat », Maria facta est mater Dei Filii, quae non amisit suam virginitatem, immo Eius gratia consecravit eam. In ea videmus Matrem Dei quae Filium suum non tenet solum pro se ipsa, sed ab omnibus petit ut eius verbo oboediant et id perficiant (cfr *Io* 2, 5).

Iuxta Mariam, protegens Infantem et eius matrem, stat sanctus Ioseph, qui plerumque effingitur baculum manu tenens et aliquando etiam lucernam sustinens. Sanctus Ioseph magnam partem agit in vita Iesu et Mariae. Ille

est custos qui numquam defatigatur familiam suam protegere. Cum Deus eum de insidiis Herodis monuit, non dubitavit proficisci et emigrare in Aegyptum (cfr *Mt* 2, 13-15). Et cum periculum cessavit, rursus familiam reduxit Nazareth, ubi fuit primus educator Iesu pueri et adulescentis. Ioseph suo in corde ferebat magnum mysterium quod Iesum et Mariam eius sponsam circumdabat et uti vir iustus semper se commisit voluntati Dei eamque exsecutus est.

8. Praesaepis cor pulsare incipit, cum die Nativitatis Domini Pueri Iesu statuam ponimus. Deus ita se manifestat in puero, ut in nostra bracchia accipiatur. In infirmitate et fragilitate suam abscondit potentiam quae omnia creat et transformat. Id fieri non posse videtur, tamen ita est: in Iesu Deus erat puer et hac in conditione voluit revelare magnitudinem sui amoris, qui manifestatur subrisione et cum quis manus suas tendit versus omnes.

Nativitas infantis suscitat laetitiam ac stuporem, quia ponit nos coram vitae magno mysterio. Cum videmus radiantes oculos iuvenum coniugum coram eorum puero modo nato, intellegimus sensus Mariae et Ioseph qui, infantem Iesum intuentes, percipiebant Dei praesentiam in vita eorum.

«Et vita apparuit» (*1 Io* 1, 2): ita apostolus Ioannes compendiat Incarnationis mysterium. Praesaepe efficit ut nos possimus videre ac tangere hunc singularem et extraordinarium eventum qui historiae decursum mutavit, unde et ordinatur annorum numeratio, ante et post Christum natum.

Dei modus agendi quasi sensibus destituit, quoniam fieri non posse videtur quod Ipse recuset suam gloriam ut homo fiat sicut nos. Quae res inopinata videre Deum ipsos mores nostros assumentem: dormit, lac sugit a matre sua, flet ac ludit sicut omnes pueri. Ut semper, Deus turbat, praevideri nequit, iugiter nostras rationes excedit. Itaque praesaepe, dum nobis ostendit Deum talem ac venit in mundum, invitat nos ut de nostra vita in Dei vita inserta cogitemus; invitat nos ut simus discipuli eius, si cupimus consequi summum vitae sensum.

9. Cum appropinquat sollemnitas Epiphaniae Domini, in praesaepe collocantur tres statuae Regum Magorum. Inspicientes stellam, illi sapientes et divites domini Orientales iter susceperant versus Bethlehem ut cognoscerent Iesum et offerrent ei munera: aurum, tus et murram. Etiam haec dona significationem figuratam habent: aurum honorat regiam Iesu dignitatem; tus eius divinitatem; murra eius sanctam humanam condicionem, quae cognovit mortem et sepulturam.

Contemplantes hanc imaginem in praesaepi, invitamur ad cogitandum de officio evangelizandi quod est cuique christiano. Quisque nostrum fit Evangelii nuntius apud eos quibus convenit, actis operibus misericordiae testificans gaudium se invenisse Iesum eiusque amorem.

Magi docent exire posse ex locis valde longinquis ad Christum attingendum. Homines divites sunt, advenae sapientes, sitientes infinitum, qui proficiscuntur in longum et periculosum iter quod ducit eos usque ad Bethlehem (cfr *Mt* 2, 1-12). Coram Puerulo Rege pervadit eos gaudium magnum. Non sinunt scandalizari adiunctorum paupertate; non haesitant flectere genua et adorare eum. Coram Eo intellegunt Deum, eundem qui regit suprema sapientia cursum astrorum, historiae cursum ducit, demittens potentes atque exaltans humiles. Et profecto, cum redierunt in suam patriam, narraverunt hunc occursum mirum cum Messia, inchoantes iter Evangelii ad gentes.

10. Ante praesaepe, mens sponte redit ad infantiae aetatem cum impatienter exspectabamus tempus quo inciperetur illud construere. Hae recordationes nos inducunt ut iterum iterumque capiamus conscientiam magni doni, quod factum est nobis in ipsa traditione fidei; simulque nobis inculcant officium et gaudium communicandi filiis et nepotibus eandem experientiam. Non est magni momenti quomodo paratur praesaepe, quod potest esse semper idem vel singulis annis mutari; nostri autem interest, ut illud ad nostram vitam loquatur. Ubicumque et quocumque modo praesaepe loquitur de amore Dei, Dei qui factus est puer ut nobis diceret quantum sit proximus omni homini, quaelibet sit eius condicio.

Cari fratres et sorores, praesaepe est pars suavis et ardui processus fidei traditionis. Inde ab infantia et deinde omni aetate vitae, nos educat ad contemplandum Iesum, ad amorem Dei pro nobis sentiendum, ad sentiendum et credendum quod Deus est nobiscum et nos cum Eo, omnes filii et fratres per hunc Puerum Filium Dei et Virginis Mariae. Et ad sentiendum in hoc esse felicitatem. Utinam in schola sancti Francisci aperiamus cor huic simplici gratiae, sinamus ut ex admiratione nascatur humilis oratio: nostras gratias agamus Deo, qui nobis omnia voluit communicare, ne umquam solos nos derelinqueret.

Datum Graeci, in Sanctuario Praesaepis, die I mensis Decembris, anno MMXIX, Pontificatus septimo.

FRANCISCUS PP.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

XINGUENSIS - ALTAMIRENSIS

In Brasilia, exstincta Praelatura territoriali Xinguensi eiusdemque bipertito territorio, dioecesis Xinguensis - Altamirensis conditur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Tamquam fidei nomen appellatione unum est, bifariam vero dividitur in unum genus ad dogmata pertinens, quod animae utilitati necesse est, et in alium quod in anima velocissimo momento maxima peragit (cfr s. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech*. 5, 10-11), sic et Ecclesia, in qua partes eo constituuntur, ut « multi unum corpus sint in Christo, singuli autem alter alterius membra » (*Rm* 12, 5). In qua dominici gregis utilitati et profectui consulere praepositi, omnia disponere contendimus, per quae animarum salus ac spirituales fidelium fructus praestentur. Apostolicae ergo Nostrae navitatis muneribus partes interponentes, mentem Nostram ad necessitates Ecclesiae quae est in Brasilia convertimus, postulationi Venerabilis Fratris Ioannis Muniz Alves, O.F.M., Episcopi Praelati Xinguensis, benigne concedentes, qui, Conferentiae Nationalis Episcoporum Brasiliae audita sententia, ab Apostolica Sede enixe postulavit, ut, praelaturae territoriali ipsi concreditae diviso territorio, novae duae exinde ecclesiasticae circumscriptiones erigerentur.

Ideo Nosmet Ipsi, prospero praehabito voto Venerabilis Fratris Ioannis d'Aniello, Archiepiscopi titulo Paestani et Apostolici Nuntii in Brasilia, de consilio Congregationis pro Episcopis, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque excipiendas decrevimus.

Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praelatura territoriali Xinguensi, quam abhinc exstinctam habendam esse mandamus,

territorium civilium municipiorum vulgo *Altamira*, *Vitória do Xingu*, *Senador José Porfírio*, *Porto de Moz*, *Gurupá*, *Anapu*, *Brasil Novo*, *Medicilândia*, *Uruará* et *Placas* nuncupatorum, quae omnia sub dicione sunt de *Pará*, in praesens finibus circumscriptum distrahi statuimus atque ex ita distracto territorio novam dioecesim, Xinguensem - Altamirensem appellandam, erigimus ac constituimus.

Huius novae dioecesis sedem in urbe Altamira decernimus templumque paroeciale ibi exstans, in honorem Sacratissimi Cordis Iesu dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Hanc insuper dioecesim Xinguensem - Altamirensem, cuius Patronam apud Deum Beatam Mariam Virginem sub titulo «de Nazareth» renuntiamus, metropolitanae nuper erectae Ecclesiae Santaremensis suffraganeam statuimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae metropolitanae subiectum.

Cetera vero ad dignam Praesulis sustentationem atque ad Mensam vulgo *Mitra*, ad Seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium institutionem, ad constitutionem Consilii Presbyteralis, Collegii Consultorum et Consilii a Rebus Oeconomicis atque ad bonorum administrationem pertinentia, secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur.

Simul ac Xinguensis - Altamirensis dioecesis erectio et supra dictae immutationes finium ad effectum deductae fuerint, eo ipso censeantur sacerdotes dioecesi illi adscripti, in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Novembris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

MARCUS card. OUELLET
Praefectus Congregationis pro Episcopis

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*
Lucius Bonora, *Proton. Apost. S.N.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 472.569

II

XINGUENSIS SUPERIOR - TUCUMANENSIS IN BRASILIA

In Brasilia, exstincta Praelatura territoriali Xinguensi eiusdemque dismembrato territorio, nova Praelatura territorialis Xinguensis Superior - Tucumanensis in Brasilia conditur.

FRANCISCUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Super humanas vires operans virtus fidei, cuius lumine perfusa anima Deum imaginatur eundemque quantum capere potest intuetur, mundi extrema circumit, praegustandum praebens christifidelibus promissarum mercedum exsolutionem (cfr s. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catech.* 5, 11). Quippe qui, omnes in Ecclesia in uno populo Dei electo congregati et in uno Corpore Christi sub uno capite constituti (cfr *Lumen gentium*, 32. 33), hoc iter salutare comitamur incedentes, dum catholicae Ecclesiae in Brasilia provida comparare curamus incrementa, postulationi Venerabilis Fratris Ioannis Muniz Alves, O.F.M., Episcopi Praelati Xinguensis, benigne concedere volumus, qui, Conferentiae Nationalis Episcoporum Brasiliae audita sententia, ab Apostolica Sede enixe postulavit, ut, praelaturae territoriali ipsi concreditae diviso territorio, novae duae exinde a Nobis ecclesiasticae circumscriptiones erigerentur.

Nosmet Ipsi, prospero praehabito voto Venerabilis Fratris Ioannis d'Aniello, Archiepiscopi titulo Paestani et Apostolici Nuntii in Brasilia, atque Venerabilis Fratris Vitalis Corbellini, Episcopi Marabensis, de consilio Congregationis pro Episcopis, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque excipiendas decrevimus.

Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praelatura territoriali Xinguensi, quam abhinc exstinctam habendam esse mandamus, territorium distrahi statuimus municipiorum *Tucumã*, São Félix do Xingu, *Ourilândia do Norte*, *Bannach* et *Cumaru do Norte*, sub dicione sunt de *Pará* hactenusque ad praelaturam territorialem Xinguensem pertinentium,

ac municipii Água Azul do Norte, hactenus ad dioecesim Marabensem pertinentis, atque ex ita distracto territorio novam praelaturam territorialem, Xinguensem Superiorem - Tucumanensem in Brasilia appellandam, erigimus ac constituimus.

Huius novae Praelaturae territorialis sedem in eadem urbe Tucumanio decernimus templumque paroeciale ibi exstans, in honorem Beatae Mariae Virginis «de Aparecida» dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae praelaticiae evehimus. Hanc insuper praelaturam territorialem Xinguensem Superiorem - Tucumanensem in Brasilia, cuius Patronam apud Deum eandem Beatam Mariam Virginem sub titulo «de Aparecida» renuntiamus, metropolitanae nuper erectae Ecclesiae Santaremensis suffraganeam statuimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae metropolitanae subiectum. Acta et documenta omnia, quae ad hanc novam praelaturam territorialem eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte pertineant, a Curiis Xinguensi et Marabensi ad Curiam Xinguensem Superiorem - Tucumanensem in Brasilia quam citius transmittantur et in apto archivo custodiantur.

Cetera vero ad dignam Praesulis sustentationem atque ad Mensam vulgo *Mitra*, ad Seminarii erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium institutionem, ad constitutionem Consilii Presbyteralis, Collegii Consultorum et Consilii a Rebus Oeconomicis atque ad bonorum administrationem pertinentia, secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur.

Simul ac praelaturae territorialis Xinguensis Superioris - Tucumanensis in Brasilia erectio et supra dictae immutationes finium ad effectum deductae fuerint, eo ipso censeantur sacerdotes circumscriptioni ecclesiasticae illi adscripti, in cuius territorio officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminariique tirones circumscriptioni ecclesiasticae illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Brasilia pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Novembris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

PETRUS card. PAROLIN
Secretarius Status

MARCUS card. OUELLET
Praefectus Congregationis pro Episcopis

Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*
Franciscus Piva, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 472.571

III

SANTAREMENSIS

Nova in Brasilia erigitur Provincia Ecclesiastica, cuius sedes erit Ecclesia Santaremensis, quae, hanc ob rem, ad Metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehitur et suffraganeae eius erunt Cathedrales Ecclesiae Obidensis et Xinguensis - Altamirensis atque Praelaturae territoriales Itaitubaënsis et Xinguensis Superior - Tucumanensis in Brasilia.

FRANCISCUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam

Ad tutelam totius dominici gregis destinatis, quantum situm est in Nobis, continenter curam adhibemus, ut salutifera Iesu Christi beneficia quam amplissimam multitudinem attingant. Quapropter Nos aptare festinamus ecclesiastica instituta ut proposita haec commodius expediantur. Ideo, re mature perpensa, postulationem Conferentiae Nationalis Episcoporum Brasiliae considerantes, de consilio Congregationis pro Episcopis atque accedente favorabili sententia Venerabilis Fratris Ioannis d'Aniello, Archiepiscopi titulo Paestani et in Brasilia Nuntii Apostolici aliorumque quorum interest, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur statuimus. Provinciam Ecclesiasticam Santaremensem condimus atque sedem episcopalem Santaremensem ad dignitatem Metropolitanae Ecclesiae attollimus, ab archiepiscopalis Ecclesiae Belemensis de Pará metropolitico iure exemptam, congruis iuribus privilegiisque additis, quibus ceterae Metropolitanae sedes ad iuris normas fruuntur. Haec nova Provincia Ecclesiastica Santaremensis complectetur Metropolitanam Sedem eiusdem nominis et ecclesias suffraganeas dioecesim scilicet Obidensem et Praelaturam territorialem Itaitubaënsem, hactenus ad Provinciam Ecclesiasticam Belemensem de Pará pertinentes et Xinguensem - Altamirensem dioecesim atque Praelaturam territorialem Xinguensem Superiorem - Tucumanensem in Brasilia, hoc ipso die erectas. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, ad exsecutionem mandanda Venerabilem Fratrem Ioannem d'Aniello, in Brasilia Nuntium Apostolicum, eligimus, eidemque idcirco necessarias et opportunas facultates tribuimus,

etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum et ipsi onus imponimus ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum transmittendi peractae exsecutionis exemplum. Contrariis quibusvis causis neutiquam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Novembris, anno Domini bis millesimo undevicesimo, Pontificatus Nostri septimo.

Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Marcus card. Ouellet
Praefectus Congregationis
pro Episcopis

Franciscus Piva, *Proton. Apost.*
Villelmus Millea, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 474.075

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Catharinae a Maria, in saeculo Iosephae Saturninae Rodríguez, viduae de Zavalía et Fundatrici Congregationis Sororum Servarum SS.mi Cordis Iesu, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Ego sum via et veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me» (*Io* 14, 6).

Venerabilis Serva Dei Catharina a Maria, in saeculo Iosepha Saturnina Rodríguez de Zavalía, Dei et proximi amore plane capta, a pueritia studuit sancta fieri, cum noverit tantummodo per crucem Domini nostri Iesu Christi nos conduci ad Patrem, qui fons est omnis sanctitatis. Etiamsi ad vitam contemplativam aspiravisset, a Domino conducta est ad opera misericordiae corporalis complenda, iugiter se divinae voluntati fidenter concredens.

Ipsa die XXVII mensis Novembris anno MDCCCXXIII in urbe Cordubensi in Argentina nata est. Etiamsi integre Domino consecrata vivere desideravit, heroica mente accepit nubere columnello Antonio de Zavalía, viduo cum duobus filiis. Familiae toto animo se dicavit, maritum in variis commeatibus ob servitium sequens et ubique pietatis et apostolici fervoris testimonium praebens. Invito primo tempore moderatore spiritus, post obitum mariti anno MDCCCLXV valuit plane se Domino dicare, et die XXIX mensis Septembris anno MDCCCLXXII Venerabilis Serva Dei fundavit Congregationem Sororum Servarum SS.mi Cordis Iesu sibique nomen sumpsit Catharinam a Maria. Congregatio inspirationem hauriebat de spiritualitate Societatis Iesu, cum charismate converso in amorem Sacratissimi Cordis inque voluntatem reparandi pro offensionibus contra Dominum nostrum. Inceptum Fundatricis apostolicum successum extemplo habuit et iam anno MDCCCLXXX per domorum fundationem variis in Argentinae urbibus expandi coepit. Quarum prima aperta est in oppido Villa Transitus, provinciae Cordubensis, cooperante sancto parocho Iosepho Gabriele a Rosario Brochero, ac exercitationibus spiritualibus dicata. Schola sancti Ignatii de Loyola instituta, uti fundamen-

tum suarum filiarum spiritualitatis servitium apostolicum ad incitandum amorem et maiorem Dei gloriam posuit necnon plenam recusationem suae voluntatis. Per cunctam vitam suam constanter cupiebat divinae voluntati conformari atque propositum sequi Sacratissimo Cordi Iesu gloriam dandi. Indefessae eius actuositates necessarium alimentum inveniebant in constanti et silenti oratione, unde vim et gaudium hauriebat ad apostolatum prosequendum. Locuples meritis coram Deo et Ecclesia, Cordubae in Argentina die V mensis Aprilis anno MDCCCXCVI in pace obiit, piis affectibus filiarum suarum circumdata. Ad ritus funebres populi multitudo concurrit.

Ob vastam et continuatam famam sanctitatis Processus Informativus incohatus est die XVI mensis Februarii anno MCMLVI, sed propter bellica rerum adiuncta Causae initium retardatum est. Servatis de iure servandis atque Positione parata, die XII mensis Decembris anno MCMXCV Congressus Consultorum Historicorum Congregationis de Causis Sanctorum habitus est, faventi cum iudicio. Consultores theologi congregati in Sessione Peculiari die II mensis Iulii anno MCMXCVII censuerunt Venerabilem Servam Dei virtutes heroum in modum exercuisse; idemque iudicarunt Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die VII mensis Octobris eiusdem anni. Itaque Decessor Noster Ioannes Paulus II facultatem tribuit Congregationi de Causis Sanctorum ut decretum super virtutibus die XVIII mensis Decembris anno MCMXCVII promulgaret.

Deinde praebita est quaedam sanatio mirabilis habita, quam Consultores medici die VII mensis Iulii anno MMXVI scientifice inexplicabilem censuerunt. Consultores theologi in Congresu Peculiari die XIX mensis Ianuarii insequentis anni hanc sanationem intercessioni Venerabilis Servae Dei adscripserunt. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria die XXV mensis Aprilis anno MMXVII congregati, huiusmodi factum verum miraculum fuisse iudicaverunt. Exinde Nos Ipsi Congregationi de Causis Sanctorum facultatem fecimus ut hac de re die IV mensis Maii anno MMXVII decretum ederet atque decrevimus ut beatificationis ritus die XXV mensis Novembris eiusdem anni Cordubae in Argentina perficeretur.

Hodie igitur in urbe Cordubensi in Argentina de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Amato, S.D.B., Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servam Dei Catharinam a Maria, in saeculo

Iosepham Saturninam Rodríguez de Zavalía, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Caroli Iosephi Ñáñez, Archiepiscopi Metropolitae Cordubensis in Argentina, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Serva Dei Catharina a Maria (in saeculo: Iosepha Saturnina Rodríguez), Fundatrix Congregationis Sororum Servarum SS.mi Cordis Iesu, Christi amoris fratribusque indigentibus servitii ardens exemplum, Beatae nomine in posterum appelletur, atque die vicesima septima mensis Novembris quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clara haec vidua et soror excellentem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem atque insignia dedit pietatis testimonia, Evangelii praecepta perscrutans et in cotidiana vita sequens. Dum illius conspicimus vitam, virtutes et assiduae navitatis multa incepta, potissimum pro pauperum spiritali bono expleta, ad altiorem usque in cotidiano itinere imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem quaerendam.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Novembris, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 467.154

II

Venerabili Servo Dei Ioanni Baptistae Fouque, presbytero dioecesano, Beatorum honores decernuntur.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «*Deus meus..., mihi iterum ignosce, quamquam indigno, mansionem mihi reserva, humilem in corde tuo mansiunculam, atque benedic mihi*» (Ex scriptis Ioannis Baptistae Fouque).

Humilis et ardens haec oratio, ob tentationem, dubitationes ac dissensiones caliginoso suae vitae tempore a Venerabili Servo Dei scripta, firmissimam illius in caelesti Patre fidem testificatur, nec non solidam spem atque exoptatum per caritatem mysticum Domini contubernium.

Ipse natus est Massiliae die XIX mensis Septembris anno MDCCCLI. Puer culturali ac christiana doctrina instructus apud scholam a servo Dei Iosepho Maria Timon-David moderatam, inde Seminarii maioris Massiliensis alumnus fuit atque presbyter ordinatus est die X mensis Iunii anno MDCCCLXXVI. In vita sua semper vicarii paroecialis munus explevit: in paroecia Sanctae Margaritae (annis MDCCCLXXVI-MDCCCLXXVII), in pago Auriol (MDCCCLXXVII-MDCCCLXXXV), in ecclesia cathedrali Sanctae Mariae Maioris (MDCCCLXXXV-MDCCCLXXXVIII), denique ab anno MDCCCLXXXVIII in paroecia Sanctissimae Trinitatis, ubi mansit usque ad mortem, quae die V mensis Decembris anno MCMXXVI evenit. Iam ultimis decenniis saeculi XIX eucharisticae communioni frequenti ac puerorum favit. Cotidie paenitentiae sacramento administrando diu vacabat nec non spiritali moderationi multorum fidelium, inter quos haud pauci erant clerici ac religiosi. Anno MDCCCLXXXVIII incepit inchoare opera pro personis infirmioribus ob sociales condiciones, aetatem valetudinemque. Die VI mensis Aprilis anno MDCCCLXXXVIII aperuit domum nuncupatam "Sancta Familia" ad hospitandas laboris causa ex locis longinquis in urbem venientes puellas destinatam. Missa celebrata in templo Nostrae Dominae de Custodia, anno MDCCCXCII aliud opus inchoavit pro pueris et adulescentibus parentibus orbatis et neglectis. Postquam anno MCMIII multae religiosae congregationes sunt expulsae legibus de Rei Publicae ac Ecclesiae separatione, Venerabilis Servus Dei emit suppressorum institutorum aliquas domos atque illas accomodavit ad Ecclesiae societatisque servitium. Itaque effecit

Lyceum S. Thomae Aquinatis, Scholam elementariam "Perrin SS. Trinitatis" atque in olim Sororum Benedictinarum SS. Sacramenti monasterio opus pro puellarum protectione atque pro pauperibus senioribus domum collocavit. Constitutis in Gallia tribunalibus de minoribus, anno MCMXIII institutionem condidit ad variorum delictorum reos adulescentes emendandos destinatam. Anno MCMXXI inauguravit valetudinarium Sancti Ioseph et opus positum in Arce Sancti Angeli, prope Avennionem, ad corporis vel mentis natura impeditos pueros adulescentulosque recipiendos destinatum. Operosus fuit, sed maxime vir Dei atque omnia incepta ex eius sacerdotali spiritu emanaverunt. Excellentissimus Dominus Dominicus Castellan, Archiepiscopus Camberiensis, Venerabilis Servi Dei olim in seminario condiscipulus, dixit: «Ioannes Baptista Fouque mysticus erat. In oratione immergebatur et in coniunctione cum Deo». Oboedientia, paupertas, humilitas, Dei et pauperum servitium huius sacerdotis vitam insigniverunt. Diuturna oratione et interiori communione cum Domino alitus ac roboratus, Venerabilis Servus Dei cupiebat omnia ad Dei amorem animarumque salutem esse disposita.

Venerabilis Servus Dei in vita aestimatus est sicut «Sanctus Vincentius de Paul Massiliensis». Ob eius sanctitatis famam anno MCMXLIV Processus informativus est incohatus, qui propter alterius belli mundani tristia eventa est interruptus. Attamen die XIII mensis Decembris anno MMVI validitas memorati Processus est asserta. Positione parata et omnibus servatis iure statutis, in Congressu peculiari die III mensis Martii anno MMXVI Consultores Theologi super heroicis virtutibus eius favens dederunt suffragium. Itemque iudicaverunt die XIII mensis Decembris anno MMXVI in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi. Demum Nos Ipsi die XXI mensis Decembris eodem anno facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum promulgaret. Beatificationis causa praebita est asserta mira sanatio, quae secundum scientiam die XXIII mensis Februarii anno MMXVII a Congregationis de Causis Sanctorum Consultoribus medicis inexplicabilis habita est. In Congressu peculiari die XXVII mensis Iunii anno MMXVII Consultores Theologi eam Venerabilis Servi Dei intercessioni tribuerunt. Die XXI mensis Novembris eodem anno in Sessione Ordinaria Patres Cardinales et Episcopi verum mirum eandem fuisse iudicarunt. Quapropter Nos Ipsi die XVIII mensis Decembris anno MMXVII facultatem dedimus ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum de miro promulgaret. Statuimus etiam ut

sollemnis ritus beatificationis Massiliae die XXX mensis Septembris anno MMXVIII celebraretur.

Hodie igitur Massiliae de mandato Nostro Venerabilis Frater Noster Angelus S.R.E. Cardinalis Becciu, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, textum Litterarum Apostolicarum legit, quibus Nos Venerabilem Servum Dei Ioannem Baptistam Fouque, presbyterum dioecesanum, in Beatorum numerum adscribimus:

Nos, vota Fratris Nostri Georgii Pontier, Archiepiscopi Metropolitae Massiliensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabilis Servus Dei Ioannes Baptista Fouque, presbyter dioecesanus, pastor secundum cor Christi, caritatis sedulus testis praesertim erga infirmos et patientes, Beati nomine in posterum appelletur, atque die quinta mensis Decembris, qua in caelum ortus est, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Clarus hic presbyter excellentem ostendit spiritalem progressum, Christi eiusque Ecclesiae dilectionem atque insignia dedit pietatis testimonia, Evangelii praecepta perscrutans et in cotidiana vita sequens. Dum illius conspicimus vitam, virtutes et pastoralis navitatis multa incepta, potissimum pro pauperum spiritali bono expleta, ad altiorem usque in cotidiano itinere imitationem Salvatoris incitamur adque sanctitatem et proprii status perfectionem quaerendam.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Septembris, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 430.257

III

Venerabilibus Dei Servis Tullio Maruzzo et Aloisio Obdulio Arroyo Navarro caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «*Hereditas quam omnes ab his fidei signiferis receperunt pulchra est ac laboriosa, quoniam secum fert ut evangelizationis munus producatur: [...] illorum commemoratio, qui pro Evangelio proprium sanguinem fuderunt, studium, famulatum et humilitatem pro Verbo nuntiando, Eucharistiam celebrandam et Ecclesiam aedificandam provehat!*» (Sanctus Ioannes Paulus II).

Quod Decessor Noster sanctus Ioannes Paulus II suadebat, iterum in Guatimalam Apostolicum iter faciens, liquido ostendit ecclesialem praestantiam martyrii quod passi sunt Venerabiles Servi Dei Tullius Maruzzo, presbyter Ordinis Fratrum Minorum, et Aloisius Obdulius Arroyo Navarro, laicus Tertii Ordinis Sancti Francisci Assisiensis, paroecialis adiutor. Uterque propriam agendi rationem evangelicis beatitudinibus aequavit: "pauperes spiritu" fuerunt in simplici laetaque vita exigenda; "pacifici" in Christi Evangelio cotidie agendo exstiterunt; "persecutionem propter iustitiam" passi sunt, cum pauperibus subvenirent et humilioris ordinis homines strenue tuerentur.

Venerabilis Servus Dei Tullius Maruzzo in pago Lapio municipii Arcugnani, in dioecesi Vicentina, die XXIII mensis Iulii anno MCMXXIX natus est. In Baptismo nomen Marcellum ei indiderunt. Vota in Ordine Fratrum Minorum anno MCMLI nuncupavit. Presbyteralem post ordinationem, quam anno MCMLIII a futuro Summo Pontifice Ioanne XXIII recepit, tum Venetiarum Patriarcha, missionarium propositum suscepit Fratrum Minorum Provinciae Venetorum sancti Antonii Patavini qui in Medianae Americae regionibus operabantur. Pater Tullius, semitam calcans gemini fratris, Franciscalis quoque sacerdotis et missionarii, in Guatimalam anno MCMLX profectus est. Magnam peritiam sese novis locis accommodandi demonstravit, quorum loquelam, consuetudines, mores didicit; illius Nationis omnes cultus facies est adeptus, usque adeo ut illam terram suam novam patriam putaret. Amabilis indole, mitis, sed etiam firmus, suam pastoralem navitatem in studiosa interiore vita stabilivit. Suam fortem apostolicam vim ex precatione

hauriebat, ita ut eandem experiret fidem quam praedicabat. Pater Tullius veras fratris minoris egit partes, pauper et humilis, felix in serviendo et in bono circum se diffundendo. Missionarius longinqua loca attigit et ferventi omnino animo laicorum institutionem praesertim promovit.

Venerabilis Servus Dei Aloisius Obdulius Arroyo Navarro in oppido Quiriguá Guatimalae, in Zacapensi dioecesi, nunc Vicariatu Apostolico Izabalensi, die XXI mensis Iunii anno MCML natus est. Alacer fuit puer, promptus, paratus ad serviendum, qui otiosum tempus paroecialibus operibus destinabat. Suo in spiritali itinere christianam communitatem impensius participare voluit, Tertium Ordinem Franciscanum ingrediens. Tali modo sese comparavit ad totum se tradendum, martyrio occurrens. Adulescens Aloisius Obdulius christiana virtute, quae est fortitudo, praestitit: pro comperto prorsus habebat persecutionem adversum Ecclesiam fieri et manifestas minas patri Tullio inferri. Non pertimuit tamen prope Italicum missionarium manere, ut fidus socius et autoraedarius, palam dicens: "Si patrem Tullium interimunt cum eo mori volo!" Duo Venerabiles Dei Servi persecutionem patiebantur eo quod evangelizabant et humilioris ordinis homines provehere studebant. Corporis spiritusque caritas, quam agebat pater Tullius, ut paupertati augescenti succurreret, desperantes solaretur ac praesertim conscientias illuminaret, ad aperte evangelicae iustitiae iura confirmanda, seditiosa iudicabatur, quandoquidem oblique insimulabat, sed prophetice acriterque, iniurias localium potentium, dominandi ac terrarum cupidorum, quas agricolae salubriores reddiderant. Die I mensis Iulii anno MCMLXXXI vespere, autoraeda dolose intercepta est; pater Tullius et Aloisius Odulius sclopeto necati sunt et eorum corpora in viae margine, sicut tradunt nobis varia testimonia, sunt relicta. Istud evenit postquam hic presbyter actuosum apostolicum opus egerat, missam celebraverat et catechesim in pago Los Amates oppidi Quiriguá tradiderat. Eorum necatio statim habita est verum martyrium, quod in Christum Ecclesiamque ob amorem passi sunt.

Ampla respecta martyrii fama, a die XXX mensis Ianuarii anno MMVI ad diem XXII mensis Iulii anno MMVIII, apud Vicariatum Apostolicum Izabalensem dioecesana inquisitio de putato martyrio Venerabilium Servorum Dei est peracta, cuius iuridica validitas per Decretum Congregationis de Causis Sanctorum die XII mensis Februarii anno MMX agnita est. Die XXXI mensis Maii anno MMXVI Congressio Consultorum Theologorum et die III mensis Octobris anno MMXVII Sessio ordinaria Patrum Cardinalium et

Episcoporum affirmans suffragium tulerunt. Itaque Nos Ipsi, die IX mensis Octobris anno MMXVII, facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum agnitionis martyrii Decretum evulgaret et statuimus insuper ut beatificationis ritus in oppido v.d. *Morales*, Izabalensi in Vicariatu Apostolico Gautimalae die XXVII mensis Octobris anno MMXVIII celebraretur.

Hodie igitur in urbe v.d. *Morales* ex mandato Nostro, Angelus S.R.E. Cardinalis Becciu, Praefectus Congregationis de Causis Sanctorum, Apostolicas legit Litteras quibus Nos in Beatorum catalogum rettulimus Venerabiles Servos Dei Tullium Maruzzo et Aloisium Obdulium Arroyo Navarro:

Nos, vota Fratris Nostri Dominici Buezo Leiva, Episcopi titulo Dardanii, Vicarii Apostolici Izabalensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Tullius (in saeculo: Marcellus) Maruzzo, Sacerdos professus ex Ordine Fratrum Minorum, et Aloisius Obdulius Arroyo Navarro, Christifidelis laicus ex Tertio Ordine Sancti Francisci, martyres, Evangelii fideles praecones et iustitiae, pacis et veritatis Regni strenui testes, Beatorum nomine in posterum appellentur, atque die prima mensis Iulii, qua in caelum orti sunt, quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possint. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Hi viri Dei, qui Christum pauperem et humilem perseverarunt imitari usque ad perfectionem martyrii, sicut, in vocatione sua fideliter ambulantes, acceperunt benedictionem et misericordiam a Domino salutari suo, ita divinae caritatis flammam excitent in cordibus nostris, ut eorum adiuvantibus meritis, in dilectionis via spiritu gaudentes progrediamur et fortes in Christi confessione vivere valeamus.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Octobris anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

De mandato Summi Pontificis
PETRUS Card. PAROLIN
Secretarius Status

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 441.756

IV

Venerabili Dei Servae Cloeliae Merloni caelitum Beatorum tribuitur dignitas.

FRANCISCUS PP.

Ad perpetuam rei memoriam. — «Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris» (*Mt* 11, 29).

Venerabilis Serva Dei Cloelia Merloni in Christi Corde omnium bonorum summam respexit ac omnium operarum scaturiginem, ita ut vivendi eius propositum illuc tetendit ut cognosceretur ac diligeretur Iesu Cor idque cum aliis per spiritalem reparationem communicaretur.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Pietraszko Episcopi titularis Turreblandensis et Auxiliaris Cracoviensis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

LIMBURGENSIS

Beatificationis seu Declarationis Martyrii Servi Dei Richardi Henkes, Sacerdotis Societatis Apostolatus Catholici († 22.II.1945)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

« Haec dicit: Amen, testis fidelis et verus » (*Ap* 3, 14).

Iesus Christus, authenticus testis Patris et Trinitarii amoris erga mundum, reddidit discipulos suos paratos ad testimonium praebendum: in communione cum illo, credentes a Sancto Spiritu fortitudinis donum accipiunt, ut in aerumnis dicere possint « amen » cohaerentis fidelitatis suae. Hic est eventus quem et Servus Dei Richardus Henkes participavit.

Natus est Servus Dei die 26 mensis Maii anno 1900 in pago v.d. *Ruppach*, in Germaniae finibus, et duo post dies baptismum accepit. In familia eius, profunde in frequenti fide infixa, humane ac christiane institutus est et signa vocationis ad sacerdotium et ad missionem percipere incepit. Anno igitur 1912, seminarium minus Societatis Apostolatus Catholici (v. *Patres Pallottini*) in oppido *Vallendar* ingressus est. Post aliquot annos seminarium reliquit ut stipendia emereret, postea redivit ad iter formativum perficiendum. Die 25 mensis Septembris anno 1921 vota religiosa emisit et die 6 mensis Iunii anno 1925 sacerdos est ordinatus.

Diversis in scholis rectis a Patribus Pallottinis, tum in *Vallendar* tum in *Alpen*, munus praeceptoris exercuit. Sed, tuberculosi correptus, cathedram relinquere debuit ut sibi acriora compararet remedia. Post annum idem munus iterum adimplevit et ab anno 1931 translatus est in loca *Katscher* et *Frankenstein*, hodie Poloniae in finibus.

Illis annis in Germania gradatim pervulgata est socialismi nationalis doctrina quae, in politicam factionem constituta, imperio potita est, tyrannicum asperrimumque instaurans regimen. Saepe Servus Dei improbationem suam erga doctrinam hanc, ab Adolfo Hitler maxime vulgatam, patefecit: praesertim anno 1937, ob quandam sententiam de *Führer*, adfuit ad iudicium coram speciali collegio iudicum Breslaviae, sed usus est poenarum remissione quae secuta est adiunctionem Austriae ad Tertium *Reich*. Attamen de munere docendi exemptus est.

Pater Richardus animo non defecit et in hoc eventu divinae voluntatis signum invenit, quae eum ad ardentiorem pastoralem actuositatem adhor-

tabatur. Prius in *Branitz*, deinde ut parochus in *Strandorf*, zelo studioque eminuit, contemptis impedimentis ac discriminibus quae a politicis magistratibus patiebatur. Fervens praedicator et ad persuadendum aptus, in apostolatu pro iuvenibus praecipue est operatus. Denuo profundus fidei assensus in contentionem cum regimine adduxit eum: anno enim 1943, ob declarationes adversus nazistas in paroecia *Branitz*, iterum delatus est et die 8 mensis Aprilis deprehensus a publicis ministris v.d. *Gestapo* in oppido *Ratibor*. In vinculis fere duos per menses segregatus mansit, deinde, die 10 mensis Iulii anno 1943, in campum *Dachau* pervenit et ibi missus est in tugurium 26, sacerdotibus destinatum.

Nota est vitae condicio hic et in aliis campis custodiae quos regimen nazistarum diffuderat in variis Europae nationibus in quibus armis vel politicis foederibus imperavit: civium relegationi, praesertim Hebraeorum et Gyptanorum, adde et sacerdotum ac religiosorum, quod veram designavit persecutionem regiminis contra Catholicam Ecclesiam et evangelicam communitatem. Inhumanitas regnabat illis in discriminibus: mala nutricatio, valetudinis et medicae curae defectio, labor coactus usque ad languorem et etiam ad mortem, dignitatis personae contemptus usque ad dissolutionem eius, violentia usque ad corporalem exstinctionem.

Attamen etiam his in adiunctis pastoralem actuositatem Servus Dei prosecutus est, qui quos potuit comiter ac generose adiuvabat. Ingens erat spes eius, constans caritas, fortis patientia, fulgens fides. In litteris moderatori spirituali circiter viginti ante annos scripserat: «Maxime fieri "sacerdos sacrificium" cupio, crucis aliorum portator». Experientia in *Dachau* culmen Calvarii amoris ac liberalitatis ei exstitit, quod ipse prece, eucharistica devotione et mariana per totam vitam coluerat.

Paucos dies ante Domini Nativitatem anno 1944 in tugurio 17, ubi pater Richardus quasdam navitates agebat, pustularum typhi contagio erupit. Servus Dei quaesivit et obtinuit ut illuc stabiliter transferretur ad infirmis detentibus curam praebendam: «A sacerdote hoc exspectatur» – dixit illis qui animadvertebant eum infici posse – «propter hoc sacerdos est». In hac extrema quidem statione in qua testimonium Domino dedit, et ipse a morbo correptus est, qui paucis diebus eum ad mortem perduxit. Dies erat 22 mensis Februarii anno 1945. Corpus eius crematum est separatim ab aliis et cineres postea missi sunt domum provincialem Patrum Pallottinorum Limburgi.

Hunc Christi sectatorem Populus Dei statim fidei martyrem putavit. Quam ob famam, a die 22 mensis Maii anno 2003 ad diem 23 mensis Ianuarii anno 2007 apud Curiam ecclesiasticam Limburgensem Inquisitio dioecesana celebrata est. Interdum, ab anno 2002 ad annum 2003, Inquisitio rogatorialis apud Dioecesim Ostraviensem-Opaviensem locum habuit: harum iuridica validitas rata est ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum die 13 mensis Martii anno 2009 latum. *Positione* confecta, die 3 mensis Decembris anno 2013 Sessio Historicorum Consultorum habita est. Deinde disceptatum est, secundum normas, an mors Servi Dei verum fuisse martyrium. Die 18 mensis Maii anno 2017 habitus est, positivo cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 11 mensis Decembris anno 2018, me Card. Angelo Becciu praesidente, recognoverunt Servum Dei propter fidelitatem erga Christum et Ecclesiam interfectum esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinale Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Franciscus, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Richardi Henkes, Sacerdotis Societatis Apostolatus Catholici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TRICHURIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Augustini Ioannis Ukken, Sacerdotis Dioecesani Fundatoris Congregationis Sororum a Caritate (1880-1956)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Sed grato animo gratuitum munus amicitiae cum Domino celebrare non possumus, si nostram quoque terrenam exsistentiam necnon nostras naturae facultates esse donum non agnoscimus» (Franciscus, Adhortatio Apostolica *Gaudete et Exsultate*, 55).

Collustratus ab hac cogitatione, omni tempore vitali in Ecclesiae conscientia et a Papa Francisco in memoriam revocata, Servus Dei Augustinus Ioannes Ukken vixit et egit.

Servus Dei natus est die 19 mensis Decembris anno 1880 in pago v.d. *Parappur* in Indica civitate *Kerala*. Forsitan cognomen *Ukken* oritur a titulo *Duce*: quod sibi vult circa nobilem originem familiae eius, quae tamen illo tempore pecuniariis in angustiis versabatur. Puer, baptizatus in loco *Enammavu* et christiane institutus, iam a prima aetate parentes amisit. Qaedam amita ei curando operam dedit, eum comitans in precatione exercenda ac in humilibus austerisque moribus sectandis.

Signis vocationis ad sacerdotalem vitam perceptis, seminarium dioecesanum ingressus est et postea, anno 1898, Seminarium Pontificium urbis Candii, in civitate *Sri Lanka*, a patribus Societatis Iesu gestum. Hic iter institutionis egit, se patefaciens devotum, indole mitem ac benignum, navum in studio exercendo ac communi in vita. Die 21 mensis Decembris anno 1907 presbyter est ordinatus.

Continuo, sibi sedem ac domicilium constituit in Vicariatu Apostolico Trichuriensi. Hic diversis muneribus pastoralibus functus est, tum in seminario, tum variis in paroeciis: anno 1909 nominatus est parochus loci *Kadassamkadavu* et, paucos post menses, seminarii minoris rector; illis annis, praeter opus institutionis seminarii alumnorum, se dedit diligenter evangelizationis operi, praecipue magni existimans devotionem Eucharistiae, Sacro Cordi et Beatae Mariae Virgini. Ab anno 1913 ad annum 1917, etiam Episcopi secretarius evasit, quo munere discrete ac prudenter functus est, patefaciens haud communia naturae bona moderationis et notabilem facul-

tatem disputationes ac contentiones componendi. Ut vicarius paroecialis ecclesiae cathedralis, maiorem praestitit navitatem pro pauperioribus Indis, assidue visitando loca, saepe pestilentia, in quae multi indigentes se conglobabant.

Illo tempore quaedam difficultas accidit inter Episcopum et Servum Dei qui, iniuste accusatus, missus est in locum *Kottappady*, quod est pauperrimum in dioecesi: etiam illis in adiunctis pater Augustinus oboediens humilisque fuit et plene commisit Domino angustias animi sui. Quamvis Episcopi successor eum in integrum restituisset, destinans eum rectorem Sancti Thomae Collegii, non defuerunt alii errores, propter augescentem zelum quem Servus Dei pro pauperibus profundebat, quam ob rem rursus missus est ad novam communitatem paroecialem angustissimam, scilicet *Chowannur* in Civitate *Kerala*.

Illic die 21 mensis Novembris anno 1944 Congregationem Sororum a Caritate fundavit, ad infirmos, moribundos et derelictos adiuvandos. Ob merita sua, etiam a civili societate agnita, omnium suffragiis electus est caput urbanae administrationis pagi *Chowannur*, communem progressionem oeconomicam et moralem civitatis vere iuvans. Sedulus et assiduus famulatus eius erga pauperes, quorum maior pars induismum profitebatur, exstitit. Multi, quamvis non christifideles essent, laudabant et magni existimabant opus apostolicum eius, eum populariter nuncupantes *Lord Priest*.

Bonum iudicium erga vitam, apostolica actuositas constans ac impigra, prudentia et dialogica facultas, cura ad alios audiendos et alacriter humaniterque tractandos, fortitudo coram novis propositis et pertinacia in eis gerendis, prudentes mores in difficultatibus laboribusque, extraordinaria liberalitas et gratuitas in agendo, tranquillitas in inopinatis rebus, spiritus sacrificii et abnegationis: omnia haec nitebantur eius in indole matura ac modica et praesertim in robusta et ferventi spiritualitate, quae alebatur precatione ac contemplatione.

Ab anno 1944 cappellanus est nominatus coenobii Sororum a Caritate, ubi die 13 mensis Octobris anno 1956 suam fecundam diem terrenam devote perfecit.

Ob hanc sanctitatis famam pervulgatam, Causa beatificationis et canonizationis apud Curiam ecclesiasticam Trichuriensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 31 mensis Augusti anno 2008 ad diem 23 mensis Maii anno 2012, cuius auctoritas et vis iuridica ab hac

Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 22 mensis Februarii anno 2013 probatae sunt. *Positione* confecta, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 8 mensis Martii anno 2018, prospero cum exitu, locum habuit Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 4 mensis Decembris anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico Servi Dei Augustini Ioannis Ukken, Sacerdotis Dioecesani et Fundatoris Congregationis Sororum a Caritate, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TARVISINA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Hieronymi Mariae Biasi (in saeculo: Archangeli), Sacerdotis professi ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium (1897-1929)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Si authenticus ero Mariae devotus, certe ad sanctitatem perveniam, quoniam Ea, quae me adiuvare potest et vult, omnes virtutes mihi obtinebit».

Verba haec Servus Dei Hieronymus Maria Biasi pronuntiavit anno 1915, exercitiis spiritualibus ad professionem religiosam parandam confectis. Eius mariana spiritualitas, ad imitationem amici ac condiscipuli sancti Maximiliani Kolbe, permisit ei ut grave morbum pateretur magna cum fide ac animi tranquillitate et magis in dies in sanctitatem progrederetur quam Dominus Iesus illi ut donum praebebat.

Servus Dei natus est in pago v.d. *Sfruz*, Tridentina in regione, die 7 mensis Decembris anno 1897. Baptizatus sequenti die nomine Archangeli, in frequenti familia crevit, tertius novem filiorum Ioannis et Rosae Fedrizzi. A pueritia expertus est necessitatem patrem adiuvandi – qui honestus ac operosus erat, sed etiam severus et aliquando difficillimus – eum comitans ad pistrinum temporibus scholae vacationis; mater autem dulcis erat et affabilis, prorsus dedita filiorum curae et eorum christianae institutioni. Die 8 mensis Iunii anno 1904 Servus Dei in loco *Coredo* Confirmationis recepit sacramentum.

Mense Septembri anno 1909, confirmatus a matre quae modestiam ac pietatem filii tantopere mirabatur ut minoribus fratribus eum monstraret ad exemplum, Archangelus collegium Fratrum Minorum Conventualium Campi Sancti Petri apud Paduam ingressus est, pagum natalem relinquens, a quo orsae multae vocationes Ordinem erant ingressurae. Ab anno 1909 usque ad annum 1914 gynmasialia studia absolvit; illis in adiunctis peculiaritates se patefecerunt, quae per totam vitam eum insignem facerent: diligentia, muneris amor, pietatis ac disciplinae consilium, praeter claram intellegendi vim, una cum iucunditate et laeto animo.

Primis studiis confectis, admissus est ut religiosam vestem indueret. Illo tempore nomen sumpsit fratris Hieronymi Mariae et die 4 mensis Octobris anno 1914 novitiatum inivit, in quo Servus Dei praestantissimis spiritualibus

moribus eminuit. Sequenti anno simplicem emisit professionem. Deinde tonsuram et quattuor ordines minores accepit et munere functus est adiutoris iuvenum vitam consecratam petentium (1915-1916), operam dans praecipue curandi duobus eorum, a phtisi correptis. Ob diversas locorum difficultates, una cum aliis iuvenibus fratribus missus est in Collegium Internationale Sancti Bonaventurae Romae, ad studia Lycei persequenda apud Pontificium Seminarium Maius Sancti Ioannis ad Lateranum (1916-1918). Romae Servus Dei novit sanctum Maximilianum Kolbe et una cum eo et aliis confratribus inter cofundatores *Militiae Immaculatae*, quae die 16 mensis Octobris anno 1917 orta est, annumeratur. Post Lycei cursum, frater Hieronymus frequentavit ut auditor Pontificiam Universitatem Gregorianam. Die 8 mensis Decembris anno 1918 sollemnem emisit professionem.

Prima signa gravis morbi phtisis, qui eum ad mortem ante tempus adducturus erat, se patefecerunt anno 1919 ineunte et, anno transacto, Hieronymus redire debuit in suam religiosam Provinciam, in perpetuum relinquens Urbem. Ita initium habuit dolorosa peregrinatio a valetudinario ad aliud, cum brevibus stationibus in variis coenobiis, cum frustra conaretur cohibere morbum qui, immo vero, gradatim in peius mutatus est. Providenter, quadam brevi intermissione mali, Servus Dei privatim studia explevit desiderata, ita ut die 16 mensis Iulii anno 1922 in paroeciali ecclesia Beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo Paduae sacerdotalem ordinationem recipere posset. Primam Missam sollemnem celebravit sequenti die 20 mensis Augusti, natali in pago.

Pater Hieronymus Biasi, fere semper a confratribus segregatus et viribus destitutus ad pastorale ministerium agendum, quod progredienti cum desiderio cupiebat agere pro populo, convertit suum dolens iter in constantem conformationem Christo patienti ac oboedienti Patris voluntati, et amoris victimam, per Mariam Immaculatam, ad animas servandas se obtulit.

Nuntius huius humilis filii sancti Francisci Assisiensis simillimus est illo sanctae Teresiae Lexoviensis: sanctitas possibilis est etiam specie in inertia et morbus illi non obstat, immo eventus est plene mirus quo magis magisque virtutes singulariter fulgere possint. Sacerdos Hieronymus Maria Biasi, praesertim per eucharisticum mysterium, propriam passionem coniunxit cum passione Christi, testimonium praebens patientiae et perseverantiae, perfectae franciscanae laetitiae, fidelitatis vitae consecratae in difficultatibus.

Die 20 mensis Iunii anno 1929, triginta et unum annos natus, mortuus est et in coemeterio publico Campi Sancti Petri sepultus. Postea, anno 1987, etiam propter amicitiam cum sancto Maximiliano Kolbe canonizato anno 1982, eius mortales exuviae translatae sunt in ecclesiam Santuarii Antoniani Campi Santi Petri.

Ob eius sanctitatis famam pervulgatam, Causa beatificationis et canonizationis apud Curiam ecclesiasticam Tarvisinam inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 8 mensis Martii anno 1999 ad diem 4 mensis Martii anno 2000, cuius auctoritas et vis iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 7 mensis Novembris anno 2000 probatae sunt. *Positione* confecta, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 15 mensis Maii anno 2018, prospero cum exitu, locum habuit Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 4 mensis Decembris anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Hieronymi Mariae Biasi, Sacerdotis professi ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

COMPLUTENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Dorothei Hernandez Vera, Sacerdotis Dioecesani Fundatoris Instituti Saecularis v.d. Cruzada Evangélica (1901-1991)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Messis quidem multa, operarii autem pauci» (*Mt* 9, 37).

Gravi in inquisitione Domini voluntatis sua in vita, Servus Dei Dorotheus Hernandez Vera, Evangelium legendo, invenit extraordinarium sensum verborum Iesu, ex quo tempore sua universa vita circa ea versabatur et convertebatur ad indefessum apostolatum pro inquisitione illius *abundantis messis*.

Servus Dei die 28 mensis Martii anno 1901 in pago v.d. *Matute de Almazán*, Soriana in provincia in Hispania, natus est et sequenti die sacro fonte est lustratus. Fidei usus eius in familia necnon summa paupertas, in qua versabantur, in Dorotheo iam a pueritia voluntatem Deo innixam informaverunt, quae ostendebatur non solum in difficultatibus superandis sed etiam in eius indole, ad persequenda nobiliora proposita ac virtutes. Adhuc puer, vocationem ad sacerdotium primitus percepit et, adulescens, Seminarium Seguntinum ingressus est, munere fungens famuli ut studia sua sustentaret et suam illic praesentiam permitteret. Vicit innumeras omnimodasque difficultates et die 20 mensis Martii anno 1926 Turiasone ordinari potuit Christi sacerdos.

Cum Blendii erat, Hispanicum bellum civile exarsit. Dominus Dorotheus suum sacerdotale ministerium heroice perrexit. Civitatem divisit in "paroecias" et domibus certissima fiducia Eucharistiam celebrabat, confessiones audiebat et curabat illos qui in antecessum nuntiaverant et sacramenta suis e manibus accipienda expectabant. Cum sic deberet sacerdotium exercere, deprehensus, in carcerem coniectus et saeve tractatus est. Summopere animo est affectus, cum in carcere detineretur plus quam quattuor menses, solummodo quod sacerdos suum ministerium egisset. Eius non interfuit quibus contumeliis et vexationibus oneraretur, persuasus se moriturum pro Christo, quia fere nulla erat sibi exspectatio e carcere missionis. Quod autem afficit ac horret est propositum quod circa se parare videt. Hoc in discrimine tangit in re ignoratiam religiosam, quae in populo vigebat, necnon fragilem persuasionem Christum sequendi et amandi.

Cum hanc rem tantidem pauci amoris in hominum cordibus ac tantae exiguae Christum sine mora sequendi voluntatis inspiciendo commotus sit, e carcere scripsit epistulam, quae expressit totam suam spiritualitatem. Misit eam ad animas cum quibus versatus est istis diris in temporibus. Miro in modo servatus est et e vinculis dimissus. Incepit domino Dorotheo novum iter eius in vita novaque apostolica opera.

Statim animadvertit necessitatem certae operae apostolatus. Provide, in fine mensis Septembris anno 1937, incepit suum ministerium apostolicum apud Provincialem Carcerem Blendii ibique enim Episcopus commisit, ut assideret captivis rei capitali damnatis. Illic cognovit difficilem humanam condicionem et frustrationes apostolici laboris, eo ut agnosceret quod *tribus in horis non datur animam servare*. Sic fere sine ratione die 8 mensis Decembris anno 1937 *Operam pro Dei gloria* fundat. Incepit Evangelicam Cruciatam, uti consequentiam cuiusdam postulationis a Deo expressae, secundum exitum realis Dei experientiae sua in vita. Est electio diligens ac animosa in adiunctis postulantibus certam deliberationem ac animum.

Radices huius fundationis, coniunctae cum apostolatu erga ingratos et derelictos, hostiles Dei gratiae, fundamentum habent in eo quod ipse perceperit se esse Christi apostolum, sollicitum de dono Redemptionis et de singularissima doctrina mortis ac resurrectionis Christi ad omnium salutem. Praeterea certo charismate quoque praeditus est sua dilecta in Ecclesia, ex spiritualitate super tres columnas fundata, et quae dici possunt *Thesaurus Ecclesiae*, scilicet Eucharistia, amor filialis erga Dei Matrem et denique Evangelium cum Cruce Christi semper in medio.

Dominus Dorotheus totam per suam vitam nonnullis muneribus summo cum sociali ac politico discrimine functus est. Tamen, iam a principio sui sacerdotalis ministerii, implicatus est in mundo captivorum. Cum ipse esset *captivus pro Christo*, vehementissime erga eas animas sollicitus fuit, quae liberatae a Christo *captivae erant in peccati constructionibus.* Toti eius vitae consentanea fuit singularis gratia penetrandi Redemptionis mysterium.

Cappellani maioris captivorum munere fungens duo genera laboris apostolici singulari exemplo adhibuit, scilicet humane ac spiritualiter curavit eos qui difficultatibus opprimebantur et simul operam dedit una cum aliis cappellanis ad aptam institutionem adhibendam, veluti si essent operatores missi ad profundiora vulnera mystico Iesu Christi in corpore sananda. Cum magni momenti existimaret uniuscuisque dignitatem, credidit in recuperationem

ac redintegrationem socialem *illorum qui olim scelera fecerant*. Ad hunc finem incepit operam ad instituendos captivos, in quavis arte et susceptores in opera secum traxit ut captivis, expiata poena, laborem offerrent. Ad huius operae redemptionis agnitionem insignibus plurimis decoratus est, sed horum omnium sine ulla dubitatione longe maximum fuit cognomentum *patris oppressorum* quod ei ipsi oppressi dederunt.

Ab anno 1971 Coslatae prope Matritum constanter degit, apud nuper institutam Operam Socialem *Ascensión Sánchez* et ibique incepit postremam partem suae vitae. Statuit heroice vivere spirituali in recessu suam aegrotationem suamque senectutem. Lecto adstrictus, cum debilitaretur et maxime eloquium amitteret, quo tantum locutus erat, factus est pro illis, qui circa eum adstabant, testimonium constans acceptationis Dei voluntatis sua in vita, commendans se Patris manibus, sine quaestionibus, sed cum pace ac serenitate.

Die 6 mensis Novembris anno 1991 oculos suos, amore ac fide erga Virginem plenos, postremo attollens, ad domum Patris accessit. Eius profectio ad caelum super terram singularem sensum tristitiae commixtae cum laetitia in hominibus relinquit, qui sponte inceperunt ad eum accedere ut sanctum salutarent et ut ad eum interiora cordis secreta committerent.

Fama sanctitatis augescente, a die 3 mensis Februarii anno 2001 ad diem 12 mensis Iunii anno 2004 apud Curiam ecclesiasticam Complutensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 30 mensis Novembris anno 2006 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Die 9 mensis Ianuarii anno 2018 fausto cum exitu, Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi, die 20 mensis Novembris anno 2018 Ordinaria in Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroicum in modum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Dorothei*

Hernandez Vera, Sacerdotis Dioecesani et Fundatoris Instituti Saecularis v.d. "Cruzada Evangelica", in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Antonillae Giugliano, Fundatricis Congregationis Parvarum Ancillarum a Christo Rege (1909-1960)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius» (*Mt* 6, 33).

Serva Dei Antonilla Giugliano Christi Regis parvam ancillam se existimavit ac dixit. Ei servivit eumque honoravit, agnoscens eum in paupere, in sene et in puero egeno. Per exercitium operum misericordiae studuit in caritate vivere ut in caritate cresceret «in illum per omnia, qui est caput Christus» (*Eph* 4, 15) et ad eius regni propagationem se consecravit.

Serva Dei nata est Novi Eboraci, in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, die 11 mensis Iulii anno 1909, tertia filia Francisci et Antonillae Moccia, Italorum, qui a natali oppido Afragola prope Neapolim migraverant, et die 15 mensis Augusti eodem anno sacro fonte est lustrata. Anno 1915 cum iuvenis uxor ante tempus mortua esset, pater statuit in Italiam redire una cum tribus suis filiabus. Antonilla, minor natu, institutioni Sororum Caritatis Neapolitani Regii Educandatus *Regina Coeli* commissa est. Illic die 31 mensis Maii anno 1916 primum ad eucharisticam mensam accessit et suas animi virtutes audiendi, cogitandi et precandi excoluit. Anno 1921 rediit in familiam et Afragolae suam institutionem perrexit.

Interea in se percipiebat germinare desiderium erga "*vitam a mundo remotam et religiosam; inclinabatur enim ad pietatem in Deum et ad amorem erga pauperculos, erga quos singularem habuit ardorem*". His affectibus iuvenis suam interiorem vitam voluit colere secundum diligentissimum ac severum *regimen vitae christianae.* Sic ergo singulis diei momentis utebatur, sua officia diligenter exsequens, agendo caritatis opera, colendo dialogum cum Iesu amorosis actis, sanctis in propositis, ferventibus in precationibus et crebris privationibus.

Licet venusta esset iuvenis ac sociali loco bene constituta, opportune nubere non cupiebat, quod autem a familiaribus eius desiderabatur. Eius cor latissima per amoris dilectionis spatia ad multorum utilitatem vagabatur.

Occursus cum consobrina moniali in Antonilla vivum propositum eandem missionariae vitae in electione imitandi concitavit. Humilitas et

conscientia suae fragilitatis eam moverunt ad consilium capiendum ex consobrino sacerdote. Hic vicissim ad patrem franciscanum Sosium Del Prete, nunc Venerabilem, vicarium coenobii sancti Antonii Afragolae eam direxit, qui suis indefessis caritatis ac boni operibus ab omnibus valde existimabatur.

Anno 1929, eius patre mortuo, Antonilla copiosi patrimonii hereditatem obtinuit. Die 29 mensis Novembris sequentis anni ad maiorem aetatem pervenit et patri Sosio primitus occurrit, qui agnovit probavitque veritatem fidei itineris eius, ponderavit perseverantiam, fortitudinem, prudentiam, eamque in itinere altioris vestigationis et diligentioris discretionis direxit. Is perspexit eam esse animam a Providentia iuxta se positam, ut ipse una cum ea novam operam caritativam inchoaret, quae loci necessitatibus socialibus respondere valeret, scilicet subsidium senibus derelictis et *filiis populi*. Vitae Fundatorum postea inter se artissime nectebantur, ut apostolatum Parvarum Ancillarum a Christo Rege inchoarent.

Antonilla Afragolae prope franciscanum coenobium paterna hereditate emit aedificium, in quo novae institutionis incunabula locarentur. Die 20 mensis Octobris anno 1935 religiosam vestem induit nomenque soror Antonilla a Iesu ei impositum est; vitae regimen sibi suisque sociis Regulae Tertii Ordinis Regularis s. Francisci praecepit, se obligando confirmationi ac diffusioni novae religiosae familiae, cuius prima Generalis Superiorissa usque ad mortem fuit. Historicis ac socialibus difficilibus in adiunctis, Serva Dei se paravit ad omnem laborem omnemque humiliationem sustinendam ut humanae miseriae levarentur, sed etiam ut eaedem praecaverentur per aptam pauperorum iuvenum institutionem. Stipem per vias ullo sine timore quaesivit, ut senibus ac pueris consuleret. In pauperibus enim agnoscebat et diligebat ipsum Christum, quem integro ac toto corde elegerat.

Hospitio excipere, reverentia, suavitas, gratus animus: haec omnia adhibebantur a Serva Dei personis quas passim conveniebat. Providentiae penitus confisa est, precationis potentiae se credidit ut Dei voluntatem et agnosceret et perageret. Omnia ad Domini gloriam exegit, sibi concredens paupertatis et ministerii vitae regimen, quo honorem sincerae illi franciscanae spiritualitati tribuit.

Prudentia Institutum rexit idemque ineluctabilibus in difficultatibus in itinere occurrentibus fortiter et animose defendit. Iacturae, privationes,

sororum defectiones et contumeliae quoque non defuerunt, quae quamvis in doloribus, eius et Venerabilis patris Sosii virtutes fulgentiores reddiderunt.

Cum inter Fundatorem et Servam Dei maxima esset mutua benevolentia, eadem spiritualem ac materialem hereditatem eius accepit et post eius mortem, anno 1952, ea actionem apostolicam extraordinariam perrexit, se optimam magistram ac institutricem ostendens.

Vere anno 1960 prima signa infirmae valetudinis apparuerunt, cum cancer ei detegeretur. Quamvis ei medicae curationes adhibitae sint, morbus deterior factus est et potius se diffudit. Serva Dei Domini voluntati heroice se accommodavit, animum consolationemque inveniendo in precatione. Ipsa tantummodo sollicitabatur de discessu caritatis ab operibus et a sororibus. Die 8 mensis Iunii anno 1960 pie morte occubuit. Eius exsequiae duas post dies Afragolae in templo sancti Antonii Patavini celebratae sunt. Die 4 mensis Iunii anno 1993 eius exuviae ad sacellum ecclesiae domus matris, ubi et corpus Fundatoris requiescit, sunt translatae.

Huius sanctitatis fama, quae in vita eam comitata est et postea per tempus aucta est, a die 1 mensis Decembris anno 2006 ad diem 11 mensis Decembris anno 2010 apud Curiam ecclesiasticam Neapolitanam Inquisitio dioecesana celebrata est, cui accessit a die 30 mensis Aprilis ad diem 21 mensis Novembris anno 2012 Inquisitio Suppletiva: eorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 17 mensis Maii anno 2013 est approbata. Exarata *Positione*, consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroico in gradu virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 3 mensis Maii anno 2018 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi die 4 mensis Decembris anno 2018 Ordinaria in Sessione congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servam Dei heroicum in modum virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Antonillae*

Giugliano, Fundatricis Congregationis Parvarum Ancillarum a Christo Rege, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

TAURINENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Caroli Tancredi Faletti di Barolo, Christifidelis Laici Confundatoris Congregationis Sororum Sanctae Annae (1782-1838)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« De cetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque casta, quaecumquae amabilia, quaecumquae bonae famae, si qua virtus et si qua laus, haec cogitate; quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me, haec agite; et Deus pacis erit vobiscum » (*Philip* 4, 8-9).

Virtutes, quibus Paulus Apostolus exhortabatur, universam vitam Servi Dei Caroli Tancredi Faletti di Barolo informaverunt, qui secundum uxoris testimonium, vixit *multis multum agens bonum, quod omnibus propagare voluisset.*

Servus Dei Augustae Taurinorum die 26 mensis Octobris anno 1782, filius unicus marchionis Octavii Alexandri Faletti di Barolo et Paulinae Teresiae d'Oncieux natus est. Archiepiscopi facultate eodem die domi sacro fonte lustratus est, sequenti die 3 mensis Novembris additicii ritus apud eius paroeciam Sancti Dalmatii sunt expleti. Sacerdos dominus Cyrillus Michaël iuvenem de humanitatis artibus praecepit et similiter alii magistri de minoribus provinciis. Grammaticae et rhetoricae curriculum apud Collegium sancti Rochi frequentavit. Pater quibusdam a negotiis principis in aula se removit, ut ipse posset ad filii institutionem incumbere et ut una cum eo, sicut mos erat inter nobiles illius temporis, multa itinera per Europam faceret: haec omnia Carolum Tancredi rebus multiformibus initiaverunt. In principio saeculi XIX interfuit Regali Equestri Cohorti Nobilium Sardiniae Regis et mense Aprili anno 1805 Circumscriptioni Honorarii Equestris Cohortis in Napoleonis comitatu et inter alia munera factus est etiam Cubiculi Regis Praefectus.

Apud Napoleonis Aulam Regiam Lutetiae Parisiorum Servus Dei cognovit Iuliam Colbert, quae in *Maulevrier* pago in catholica regione Vendea die 26 mensis Iunii anno 1786 nata erat. Cum ea, quamvis natura differret, moralia ac religiosa principia cito consociavit. Die 18 mensis Augusti anno 1806 matrimonio se coniunxerunt et aliquos per annos alternis vicibus tam

Lutetiae Parisiorum quam Augustae Taurinorum vixerunt. Hic denique anno 1814, post Napoleonis lapsum, omnino sedem posuerunt. Anno 1816 Carolus Tancredi ingressus est Corpus Decurionale Taurinense, sic suum incepit cursum honorum. Francae-Gallicae habitationis causa multas amicitias fecerunt cum personis quae curabant socialia ac caritatis opera, quarum ex christianae caritatis testimonio compulsi sunt ad Taurinensibus pauperibus subveniendum.

Cum coniuges se haud generare posse filios maerentes cognoscerent, pro certo habuerunt hoc divina Providentia factum esse in *Dei imperscrutabili sapientia*, cui se commendantes patris ac matris fecundissima spiritualia dona valuerunt adipisci.

Usque ad sui praecocem mortem, Carolus Tancredi graviora munera apud municipalem administrationem exercuit, in quibus singularem prudentiam rebus publicis in regendis semper ostendit. Munus Syndici exercendo, multas nobiles operas suscepit, scilicet pecuniae largitiones indigentibus, distributionem lignorum pauperibus, curavit etiam oppidi renovationem ad salubriorem formam per institutionem novorum publicorum hortorum, novorum aquarum fontium ad bibendum aptorum, novae rationis nocturnae luminationis et denique novarum regionum ad oppidum propagandum. Se contulit etiam ad institutionem primae *Mensae Parsimoniae* ad parva peculia vulgi tuenda, continendo faeneratores et fovendo socialem progressionem ordinis medii et infimi societatis.

Ianuario mense anno 1828 eius pater mortuus est, cuius unicus fuit heres. Cum Carolus Tancredi secundum suam voluntatem bonis suis uti posset, statim consilium cepit ut trecenta milia libellarum civitati donaret ad novum coemeterium aedificandum, quia summa erat necessitas istius operis salubritatis publicaeque salutis necnon humanitatis ac religionis causa.

Publica munera exercens Servus Dei simplicia officia publici administratoris magnopere superavit et valuit, authentica christiana caritate, proximum pauperibus cuiusvis generis se fecit. Eminuit maxime favens humanae ac christianae institutioni necnon aptae formationi professionali omnibus iuvenibus maxime pauperibus. Hoc fecit per institutionem scholarum gratuitarum omnibus apertarum, asylorum ad pauperarum familiarum pueros recipiendos, scholarum pro puellis, scholarum professionalium et etiam Varalli Vercellensi in provincia officinae ad lignum sculpendum. Haec fecit et multa alia quia ignorantiam paupertate longe peiorem existimabat.

Anno 1834, una cum uxore sua et Archiepiscopi Excellentissimi Aloisii Fransoni assensu, Congregationem Sororum Sanctae Annae a Providentia fundavit, ut suorum propositum quoad parvulorum et pauperum institutionem persequeretur.

Animo suo et heroica caritate eminuit, cum anno 1835 cholericus morbus saeve flagraret, a Monte Calerio Augustam Taurinorum rediit et ipse multis aegrotis assedit, suam salutem in discrimine pro pauperum bono ponens. Non sine ratione hinc eius valetudo in peius mutavit, quamvis robustus constitutione semper fuisset et in plena aetatis maturae corporis virtute esset.

Die 19 mensis Maii anno 1838 testamentum suum conscripsit, suam dilectissimam uxorem omnium bonorum heredem constituit, confidans *eam certissime mea bona adhibituram esse in illis bonis operibus, quae iam a longe communia ac assidua nostra desiderata constituunt proposita.*

Augusto mense anno 1838, dum medicorum consilio una cum uxore sua Tirolim peteret, ardenti ac continua febbri correptus est, hanc ob rem Veronae constitit et hic Servus Dei confessorem petivit. Clarii valetudo deterior facta est et, oleo sancto accepto, in amplexu dilectissimae uxoris brachiorum suaviter animam exhalavit. Die erat illo 4 mensis Septembris anno 1838 et vix quinquagesimum septimum annum aetatis suae Servus Dei egit. Eius iussu exsequiae omnino simplices celebratae sunt, contra consuetudinem nobilium illius temporis. Ille qui longe ditissimus erat omnium Pedemontanorum dictus est *vir beneficentissimus totius nationis et pater pauperum.*

Nunc etiam eius testimonium exemplaris coniugalis unionis christianae cum uxore Iulia, die 5 mensis Maii anno 2015 venerabili declarata, admodum praestat.

Fama sanctitatis durante, a die 8 mensis Februarii anno 1995 ad diem 21 mensis Decembris anno 2002 apud Curiam ecclesiasticam Taurinensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 30 mensis Ianuarii anno 2004 est approbata. Exarata *Positione,* die 11 mensis Aprilis anno 2017 Consultorum Historicorum Congressus habitus est. Postea consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 17 mensis Maii anno 2018 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est. Die 11 mensis Decembris anno 2018 Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione congregati cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei heroicum

in modum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Caroli Tancredi Faletti di Barolo, Christifidelis Laici, Confundatoris Congregationis Sororum Sanctae Annae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

MORELIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Michaëlis Zavala López, Sacerdotis professi Ordinis Sancti Augustini (1867-1947)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Quasi filii oboedientiae, non configurati prioribus in ignorantia vestra desideriis, sed secundum eum, qui vocavit vos, sanctum, et ipsi sancti in omni conversatione sitis» (*1 Pe* 1, 14-15).

Verba haec explicans ac totam suam spem in gratia ponens, Servus Dei Michaël Zavala López didicit se conformare, mundano in itinere, Christo crucifixo, decerpens redundantiam fructuum Spiritus, qui dantur illis qui se faciunt filios in Filio.

Servus Dei in pago v.d. *Rancho Nuevo de Santa Clara*, *Puruandiro Mechoacano* in statu Mexicanae nationis, die 12 mensis Novembris anno 1867 natus est, ex familia in qua forsitan nobile genus Hispanicum nobili sanguine indigenorum commiscuerat. Eius pater Iosephus Raphael Zavala et mater Michaëla López de Zavala humanissimis ac christianissimis sensibus animum parvi Michaëlis perfuderunt. Cum ad sacrum fontem deductus esset, ei nomen Iosephus Serapion Franciscus de Trinitate impositum est.

Cum ad primum pervenit aetatis annum, familia se transtulit ad *Ojo de Agua*, prope oppidum *Moroleón, Guanajuato*, et post aliquot annos se transtulerunt ad parvum pagum dictum *La Soledad*. Quartum annum aetatis suae agens, patre orbatus est et munus educandi ac alendi Servum Dei eiusque sororem matri est commissum, quae statim ad oppidum *Moroleón* se transtulit, ut domesticis operibus operam daret. Servus Dei, sicut multi in iisdem condicionibus, difficili in pueritia versabatur, inter multas renuntiationes, inter paupertatem et miseriam fluctuando.

Die 15 mensis Ianuarii anno 1875 primum ad Eucharistiam accessit, ex quo tempore subinde magis conquisivit divina acolythatus munere fungens in ecclesia Sancti Ioannis Baptistae, quae regebatur a patribus Ordinis Sancti Augustini. Exemplum patrum Augustinianorum in corde desiderium sacerdotalem amplectandi vitam excitavit. Decimum secundum annum aetatis agens, Conciliare Seminarium Moreliense ingressus est, in quo prioris Augustiniani conventus Moreliensis patris Sebastiani Rodríguez, ab omni-

bus dicti “columbae Dei”, sapientiam ac spiritualitatem cognovit et eisdem fruitus est, cum Servus Dei eum confessorem elegisset. Haec spiritualis necessitudo Michaëlis in corde desiderium Augustinianae vitae consecratae generavit. Consequentia istius consilii fuit eius profectio ad Collegium Sancti Pauli de *Yuriria*, ubi Servus Dei ab anno 1880 ad annum 1882 est commoratus. Suam philosophicam institutionem in collegio Spiritus Sancti Sancti Iacobi *Maravatío* perrexit et deinde ad *Yuriria* rursus missus est, hac vice ut novitiatus primum annum inchoaret, quem cum perfecit, die 12 mensis Iunii anno 1889 professionem emisit, baptismale nomen commutans cum religioso fratris Michaëlis. Apud Conciliare Moreliense Seminarium theologicis disciplinis studuit et anno 1892 sollemnem professionem edidit. Die 24 mensis Februarii anno 1894 sacro ordine est auctus.

Multa fuerunt loca in quibus suum sacerdotale ministerium summa cum fide exercuit erga suos fratres communi in vita et erga fideles suae curae commissos, scilicet: *El Sabino*, *Querétaro*, Morelia, Aquae Calidae, *Moroleón*, *Yuriria*, Mexicopolis, *Naucalpan*, *Salvatierra*. Istis in locis multis muneribus functus est: fuit enim vicarius paroecialis, prior, secretarius ac definitor provincialis, parochus, magister noviciorum, sacrorum minister, rector Collegii Sancti Pauli, confessarius monialium ac seminarii alumnorum. Servus Dei admodum laetatus est quod Romae posset visitare loca sancta ibique potuit etiam admitti audientiae sancti Pii X. Anno 1913 Palestinam visitavit.

Boni Pastoris ad imaginem sanctam Missam magno fervore ac devotione celebrabat. Promptus semper erat in paenitentium confessionibus audiendis, qui ad eum omni ex societatis loco magno numero accurrebant. Adlocutiones eius ex pulpito audientium corda fovebat, apertis suis verbis valebat christifidelium animos commovere. Celebris fuit eius cura in pueris ac adultis sacris doctrinis erudiendis, maxime cum fuit parochus, eodem modo cognitus est eius amor erga pauperes et infirmos necnon erga saucios et indefensiores tam de necessitatibus corporis quam spiritus. Vitam exercuit omnino apostolicam, actuosam sed eodem tempore super contemplationem fundatam. Omnes Christo admovebat per sacramenta, per institutionem in fidem ac per precationem devotionemque eucharisticam et marianam. Diffusionem sanarum familiarum christianarum et sanctarum vocationum fovit.

Vir fuit multifariis virtutibus praeditus, maxime oeconomicis in rebus administrandis: hoc in servitio multas ecclesias refecit ac reparavit mul-

tasque autem novas a fundamentis pro Dei populo aedificavit. Vir fuit alta ac constanti precatione, saepe unionem cum Deo mystice adeptus est et ex ferventissima interiore oratione trahebat nutrimentum ad multas apostolicas operas conficiendas. Magna erat eius devotio erga *Morenita del Tepeyac*, sicut ab eo saepe Virgo Maria nuncupabatur et cui magnum templum in *Yuriria* aedificavit. Sanctus Augustinus constans exemplum imitandum propter severitatem in seipsum et amabilitatem in alios a Servo Dei habebatur.

Heroicam post vitam ac fidele testimonium, maxime cum graves politicae difficultates occurrissent, ex quibus rerum novarum cupidinis motus saepe Ecclesiae infestissimi exorsi sunt, qui manifestam concitaverunt persecutionem quae innumerabilem aciem martyrum constituit. Servus Dei denique potuit reliquam vitae partem in dilecto oppido *Yuriria* exigere. Hunc mundum die 4 mensis Aprilis anno 1947 pie reliquit, artissima unione cum Calvarii mysterio: fuit enim illa die Veneris Sanctae Hebdomadae. Eius mortales exuviae municipali in coemeterio oppidi *Yuriria* conditae sunt et denique aliquos post annos ad paroecialem ecclesiam sunt translatae.

Fama eius sanctitatis, quae hac in vita floruerat, post mortem permansit, hanc ob rem a die 31 mensis Ianuarii anno 1996 ad diem 18 mensis Augusti anno 1997 apud Archiepiscopalem Moreliensem Curiam Processus dioecesanus celebratus est, cuius iuridica validitas die 30 mensis Aprilis anno 1999 per Decretum huius Congregationis de Causis Sanctorum est approbata. Exarata *Positione*, disceptatum est consuetas secundum normas an Servus Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 15 mensis Februarii anno 2018 Peculiaris Congressus Theologorum Consultorum habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione diei 20 mensis Novembris anno 2018 congregati, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroicum in gradum exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Michaëlis*

Zavala López, Sacerdotis professi Ordinis Sancti Augustini, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

VARSAVIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Melchioris Fordon (in saeculo: Iosephi), Sacerdotis professi ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium (1862-1927)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Age, anima mea, tolle, tolle Crucem tuam in doloribus, difficultates animadverte, in cordis cogitatione vive. Introduxit me in cellam vinariam, et vexillum eius super me est caritas (*Ct* 2, 4). Semetipsum exinanivit [...], factus oboediens (*Philp* 2, 7-8). Principium meum Deus est. Finis meus Deus est. Praemium meum Deus est. Deo totaliter servio. Deus omnia est mihi».

Verba haec, cum e sacris libris excerptis sententiis intexta, a iuveni Servo Dei Iosepho Fordon scripta, meta totius vitae sunt ac solidum fundamentum eius spiritualis itineris.

Servus Dei, filius architecti Iacobi et Feliciae Lukowicz, Polonae ac catholicae familiae nobili genere, Grodnae, hodie in finibus Rei Publicae Bielorussiae, die 5 mensis Augusti anno 1862 est ortus. Sequenti die 26, in paroeciali ecclesia Romano-catholica Grodnae baptizatus est. Ad scholasticam institutionem Russicam vitandam, puer forsitan domesticum ludum egit, deinde studia perrexit apud Russicum gymnasium. Unum et vicesimum annum agens, signa sacerdotalis vocationis percepit et, propter hoc, seminarium dioecesanum Vilnae est ingressus. Caunae die 2 mensis Augusti anno 1887 presbyter ordinatus est.

Post aliquot menses, Servus Dei in pago *Strubnica*, deinde in pago *Dąbrowa Grodzieńska*, parochus est nominatus. Incipiente anno 1903 missus est paroci munere ad ecclesiam Sanctae Mariae ab Angelis Grodnae et guardianus franciscani olim coenobii, mutati tunc in quandam correctionis domum pro sacerdotibus quos Russicae auctoritates Statui periculosos putabant.

Viginti et tres post annos pastoralis ministerii, Administratore Apostolico Vilnensis dioecesis probante, Ioseph Ordinem Fratrum Minorum Conventualium ingredi statuit. Tempus primi mundani belli, ut vicarius ecclesiae Sanctae Mariae ab Angelis et franciscanus conventualis, Grodnae transegit.

Inconcussa fides eius in Deum, in Iesum Christum, in Beatam Virginem Mariam et imitatio sancti Francisci fuerunt authenticus vigor Servo Dei

et siverunt ut ministerium pastorale ageret in populo qui adiutorio tam religioso et morali quam materiali indigebat. Melchior homines erudiebat et illiciebat, non modo fidei veritates proclamans sed praesertim exemplum offerens vitae humilis, temperantis, mortificationis ac abnegationis plenae; promptus erat ad semetipsum immolandum, ut alios defenderet aut servaret. Sacerdotes, confratres, sorores et innumeri fideles eum sanctum putabant etiam tum vivum.

Ex eius vivendi forma novimus eum statum sacerdotalem et deinde religiosum elegisse, ut profundiorem quaereret communionem cum Deo atque efficeret ut etiam populares Creatori appropinquarent, praecipue egentiores aut derelicti, scilicet populus degens in vicis.

Servus Dei perficiebat suum pastorale munus incipiens a simpliciore, scilicet ex religiosa institutione. Ita in animo habebat ut gradatim mores vicanorum et civium regionum illi commissorum elevarentur. Adversus alcoholismum ac turpem vitae rationem contendit. Expertus est difficultates agricolarum et incolarum pauperum vicorum duarum civitatum. Statuit se esse proximum fidelibus suis, ad melius perspiciendas eorum quaestiones et ad remedia invenienda difficultatibus eorum.

Die 20 mensis Octobris anno 1922 sanctus Maximilianus Kolbe, qui illic peregit suum opus propagationis *Militiae Immaculatae*, Grodnam pervenit. Pater Melchior Fordon hortabatur iuvenes postulantes qui Grodnam petebant et, spiritualibus colloquiis ac reconciliationis sacramento, iter vocationale eorum sustinebat. Etiam consiliarius et confessor sancti Maximiliani Kolbe fuit.

Pater Melchior Fordon die 27 mensis Februarii anno 1927 vitam suam, meritis plenam, pie Domino reddidit.

Ob eius sanctitatis famam pervulgatam, Causa beatificationis et canonizationis apud Curiam ecclesiasticam Varsaviensem inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 30 mensis Iunii anno 1997 ad diem 21 mensis Septembris anno 1998, cuius auctoritas et vis iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 12 mensis Novembris anno 1999 probatae sunt. *Positione* confecta, die 14 mensis Maii anno 2013 acta est Sessio Consultorum Historicorum. Deinde disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 17 mensis Aprilis anno 2018, prospero cum exitu, locum habuit Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales

et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 20 mensis Novembris anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, professi sunt Servum Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Melchioris Fordon (in saeculo: Iosephi), Sacerdotis professi ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

BONONIENSIS

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iosephi Codicè, Sacerdotis Dioecesani Fundatoris Piae Societatis Sororum Visitationis a Virgine Immaculata (1838-1915)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Estote ergo animo laeto, interior laetitia vestro e corde umquam discedat, quia scitis Deum vobiscum esse et neminem impediturum esse quominus copiosissimus fructus afferatur ».

Spiritualitas, quam Servus Dei Iosephus Codicè instillavit Sororibus Visitationis a Virgine Immaculata, quas fundaverat, est illa propria animae consecratae, scilicet tota ac absoluta consecratio virginalis, nimirum intima coniunctio cum Christo; vehemens spes eschatologica; participatio sacramentis necnon perseverantia in oratione, potiorem partem deferendo passionis Christi contemplationi.

Servus Dei Butrii prope Bononiam die 3 mensis Martii anno 1838, octavus ex decem filiis Michaëlis et Teresiae Tassoni, est natus. Parochi consilio, qui in iuvene semen vocationis perceperat, die 12 mensis Septembris anno 1854 Archiepiscopale Seminarium Bononiense ingressus est ibique ad studia philosophica et theologica se contulit; primam accepit tonsuram necnon minores ordines, denique maiores, scilicet die 9 mensis Aprilis anno 1859 subdiaconatum et die 24 mensis Martii anno 1860 diaconatum. Dispensatus ab aetate canonica viginti et quattuor annorum uti dispositum a Tridentinis decretis, die 30 sequentis mensis Septembris presbyteratus ordine auctus est.

Ab anno 1864 ad annum 1866 Butrii egit, pastorale subsidium ferens tam nonnullis oppidis quam finitimis ecclesiis. Ab anno 1870 Servus Dei Videlianam missus est, ut munere fungeret spiritualis moderatoris, et deinde parochi: hoc autem officium summa sedulitate novem per annos exercuit. Cum suum ministerium apostolicum in paroecia Videlianensi expleret, Piam Unionem Sororum Visitationis a Virgine Immaculata fundavit, secundum Sancti Francisci Salesii spiritualitatem, tradens eis apostolicam actuositatem in pauperum et infirmorum auxilium, in humanam ac christianam iuvenum mulierum dignitatis promotionem necnon earumdem institutionem tam ad litteras quam ad artes introductoriam. Sororibus Visitationis Servus Dei primas regulas composuit, institutioni et incremento religioso consuluit,

quasdam domus fundavit et anno 1912 domum principem a Videliana ad Bononiam transtulit.

Non fuit levioris momenti eius socialis praesentia: etenim Videliana illis annis exemplo fuit rationi sociali christianae, afficienti communem convictum ita ut necessitudines sociales faciliores redderentur melioresque admodum efficerentur condiciones vitae omnium participantium processui fructuario et eiusdem mutationis.

Fundamentum totius Servi Dei spiritualitatis fuit Eucharistia. Ei enim reapse fuit fons et culmen sacerdotalis et apostolicae vitae necnon scaturigo perennis, a qua is perpetuo hauriebat ardentem caritatem, quae eum compellebat ad sanctitatem et ad se offerendum pro omnibus aliis, sine mora, uti authenticus pastor gregis sui. Satis est eius epistulas perlustrare vel cathechesim, quam populo tradebat, legere vel adorationis scripta recensere, quae identidem Sororibus Visitationis dicabat, ut hoc omnino comprobaretur. Cum Servus Dei de hoc sacramento, ab eo definito *"sui amoris"* scilicet Christi, loqueretur, animum intendit in realem praesentiam. In Eucharistia Christi corpus et sanguinem vere adesse affirmabat, hac de re qui ad eum accedit ut sumat *"eius immaculatas carnes"* vescitur et *"suum pretiosissimum sanguinem"* bibit.

In Iesu, in sacramento altaris abscondito, is Bonum Pastorem gregem ad *"electa et laeta sua pascua"* ducentem conspicit. Tabernaculum ab eo existimabatur locus sanctus, circa quem angelorum, cherubim et seraphim turba ut corona semper adorat. Illud maxime voluit, ut die ac nocte illic iuxta consisteret.

Desiderium adorandi ac contemplandi Iesum in Eucharistia necnon consistendi iuxta pedes eius totam amplitudinem eius eucharisticae spiritualitatis non complectitur. Est enim alia ratio summi momenti ponderanda, scilicet quod Eucharistia Servo Dei erat sacramentum communionis, id est intima coniunctio ex qua gradatim ad maturitatem pervenit illa in Christo vita necnon ipsa conformatio mortis et resurectionis eius.

Post existentiam, pastoralibus navitatibus copiosissimam necnon spiritualibus fructibus ubertosissimam, dominus Iosephus Codicè, cum in initio Missae *Confiteor* orationem recitaret, die 21 mensis Ianuarii anno 1915 ad pedes altaris maioris Videlianensis ecclesiae paroecialis mortem occubuit.

Cum fama sanctitatis iam in vita magna post mortem consolidaretur et amplius diffunderetur, apud Curiam Archiepiscopalem Bononiensem a die 8

mensis Decembris anno 1987 ad diem 30 mensis Aprilis anno 1995 Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 20 mensis Octobris anno 1995 est approbata. Exarata *Positione*, die 14 mensis Februarii anno 2017 habita est Historicorum Consultorum Congressio. Deinde consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroum in gradum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 8 mensis Maii anno 2018 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus locum habuit. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione die 11 mensis Decembris anno 2018 se congregaverunt, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, et Servum Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Codicè, Sacerdotis Dioecesani, Fundatoris Piae Societatis Sororum Visitationis a Virgine Immaculata, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

FLORENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Ambrosinae a S. Carolo (in saeculo: Philomenae D'Urso), Sororis professae Instituti Sororum a Iesu Redemptore, olim Instituti Sororum a Patrocinio Sancti Ioseph (1909-1954)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Velim omnibus orbis creaturis conclamare: *Amor Panem se fecit*. Velim universo mundo conclamare ut Amorem diligat. [...] Sublimiter conspicere semper volo unum quaerens, scilicet Amorem ».

Haec verba, in spirituali diurno commentario Servae Dei Ambrosinae a S. Carolo (in saeculo: Philomenae D'Urso) conscripta, clare et efficaciter spiritualem eius imaginem delineant, quae super Dei amoris mysterium in Christo prolati fundavit et super istius amoris testimonium ferventi generositate fratribus obtulit.

Serva Dei Castri Maranolae prope Formias Latinensi in Provincia die 1 mensis Ianuarii anno 1909 nata est. Quarta fuit decem filiorum, sequenti die 6 mensis Ianuarii sacro fonte lustrata est et Philomena nuncupata. Iam a pueritia religiose instituta est operamque mox dedit rusticis operibus, saepe ecclesiam frequentabat, quamquam pater eius huic rei adeo obstitit ut ea a patre contumelias ac plagas acciperet.

Anno 1913 in natalem pagum Sorores Instituti a Patrocinio Sancti Ioseph pervenerunt. Hoc maximi fuit momenti vitae Philomenae, quae magis magisque familiariter sororibus utebatur, praecipue scholam acu pingendi ac sodalitium Filiarum Mariae frequentando. Inchoavit vehementiorem spiritualem experientiam religiosaeque consecrationi vocationis prima signa percepit. Anno 1916 Serva Dei primum ad eucharisticam mensam accessit. Illam diem memorans, haec verba scripsit: "Cum Sanctam Communionem accepissem, statim magnam percepi laetitiam me totam pervadentem, unquam tantumdem experta sum et sensi hoc ex Iesu oriri qui corde in meo erat". Postea et sacram confirmationem accepit.

Cum Philomena vicesimum annum aetatis ageret, patris assensu, qui interea resipuerat, omnia sua reliquit, ut soror esset apud praedictum Institutum, quod postea nuncupatum est Sororum a Iesu Redemptore cuiusque satisfactionis ac reconciliationis spiritualitatem Serva Dei omnino recepit.

In communitate nomen accepit Ambrosinam a S. Carolo, novitiatum Perusiae perfecit. Religiosam consecrationem magis magisque induit et egit sequens spiritum ac charisma Instituti fundatricis Victorinae Le Dieu. Die 22 mensis Decembris anno 1929 primam emisit professionem.

In principio anni 1930 Vadum Longum prope Florentiam, apud domum, in qua multi pueri egeni excipiebantur, se trastulit. Hoc in officio Soror Ambrosina, quamvis valetudine minus prospera uteretur, omnino se tradidit, transfundens innatam bonitatem suam gratia vivificatam in ministerium erga parvulos. Illis annis perscrutata est suam communionem cum Christo crucifixo, eidem omnem dolorem offerendo et fortiter ex corde se sanctam fieri cupivit. Mystica quidem phaenomena multiplicabantur, quae iam in pueritia cognoverat, maxime cum percepisset quae ipsa esset coram Domino una cum consentanea conscientia se esse magnam peccatricem. Sed praeter omnia amor in alios, in primis erga consorores, admodum augebatur: Servae Dei enim fuit facultas consolandi omnes qui ad eam auxilii causa accedebant. Die 10 mensis Octobris anno 1935 vota emisit perpetua.

Vitam exemplarem degit. Naturali eius bonitati addebatur simplex ac sincerum studium in Instituti regulam ferventer observandam. Semper laeta, humilis, moderata, industriosa et in omnes prompta. Fides, quae eam sustinuerat in difficultatibus pueritiae et adulescentiae, eandem in angustiis ac discidiis comitata est et maxime in ea confirmavit conscientiam absolutae deditionis ad Cor Iesu. Mulier fuit spei plena.

Annis secundi belli mundani (1939-1945) et proxime sequentibus valde passa est. Corde suo de hominum magnis calamitatibus doluit et laboravit. Variis chirurgicis sectionibus subiecta est, ulla sine in melius mutatione. Hanc ob rem vere anno 1948 debuit in valetudinarium se collocare, in quo suam silentem missionem, augescente amore erga Iesum Eucharisticum, exegit. Sed cum eius valetudo ingravesceret, toto animo voluit se Iesu Christi passioni aggregari, se victimam pro peccatoribus offerens. Brevi tempore in statu absolutae immobilitatis coenobii in valetudinario iacuit. Sua ex cella non longe a choro communitatis precationibus interesse valuit.

Quadragesimum quintum aetatis annum agens, die 26 mensis Martii anno 1954 morte occubuit. Die 11 mensis Augusti anno 2004 Florentino ex coemeterio eius mortales exuviae Maranolam reductae sunt et die 1 mensis Octobris anno 2006 in urna conditae in ecclesia Beatae Mariae Virginis Annuntiatae asservatae, in qua puellula saepe precata erat.

Fama sanctitatis a die 21 mensis Maii anno 1966 ad diem 4 mensis Octobris anno 1971 apud Curiam Archiepiscopalem Florentinam Informativus Processus celebratus est, cui accesserunt duo Rogatoriales Processus, scilicet Caietae ab anno 1967 ad annum 1968 et Romae ab anno 1967 ad annum 1969, quorum omnium iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 4 mensis Maii anno 1992 est approbata. Habitus est etiam alius Processus Suppletivus apud Curiam dioecesanam Sabienensem-Mandelensem a die 24 mensis Novembris anno 2015 ad diem 10 mensis Septembris anno 2016, cuius iuridica validitas per Decretum diei 17 mensis Februarii anno 2017 est approbata. Exarata *Positione,* consuetas secundum normas disceptatum est an Serva Dei heroum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 12 mensis Decembris anno 2017 Peculiaris Theologorum Consultorum Congressus habitus est. Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in sessione diei 11 mensis Decembris anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servam Dei heroicum in gradum virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Ambrosinae a S. Carolo (in saeculo: Philomenae D'Urso), Sororis professae Instituti Sororum a Iesu Redemptore olim Instituti Sororum a Patrocinio Sancti Ioseph, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

ORIOLENSIS - LUCENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Archangelae Badosa Cuatrecasas, Religiosae professae e Congregatione Sororum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo (1878-1918)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Diversas inter species, extollere volumus "femininum ingenium" in femininis sanctitatis rationibus etiam manifestari, necessariis ut in hunc mundum referatur Dei sanctitas» (Franciscus, Adhortatio Apostolica *Gaudete et Exsultate*, n. 12).

Serva Dei Archangela Badosa Cuatrecasas bene congruit huic cogitationi Papae Francisci: gratia Domini in illa fecundum invenit agrum et credibilem testem amoris Dei erga mundum eam fecit.

Serva Dei orta est in loco v.d. *Sant Joan les Fonts*, in Hispania, die 16 mensis Iunii anno 1878, e christiana familia in fide solide fundata, in qua sanctum rosarium quotidie peragebatur et Sacra Scriptura una cum *Vitae descriptione* sancti vertentis diei legebatur. Parentum exemplum ad quinque vocationes in familia suscitandas vitae consecratae profuit: tres Carmelitae, inter quas ipsa Serva Dei, et duos Salesianos.

Parentibus ante tempus defunctis, anno 1889 orbi recepti sunt a quadam matertera et coniuge eius, qui filiis carebant.

Adulescens, Serva Dei eminuit convenientia animi religiosi atque urbanitate erga familiam, quae eos acceperat.

Avunculo e vita excesso, vidua deliberavit se transferre, una cum sororis filiis, in civitatem v.d. *Olot*, ad opus consequendum puellis maioribus et ad institutionem minoribus comparandam. Decem annos nata, Serva Dei, cum quodam fratre, in officina opus suscepit, simul avunculae iam aetate provectae assidens et se tradens ad paroecialem apostolatum.

Vocationem ad consecrationis vitam percepit, sed avunculam adiuvare pergere elegit et, tantummodo post mortem eius, anno 1907, ingressa est Oriolae Congregationem Sororum Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo, a Ven. Serva Dei Elisaea Oliver Molina anno 1891 instituta. Novitiatu expleto, die 2 mensis Augusti anno 1909 primam professionem religiosam emisit et missa est in pagum *Elda*. Die 2 mensis Augusti anno 1915 perpetua emisit vota.

Post annum in labore docendi consumptum, appellata est ut consororem infirmam apud municipale valetudinarium substitueret. Fortiter munus accepit et, post primam difficultatem infirmos ministrandi, caritate ac sollicitudine insignis evasit, illis familiaribusque eorum largiens adiutorium non modo materiale sed etiam spirituale.

Bis Consiliaria communitatis et semel Delegata vicaria Generalis Capituli est electa.

Serva Dei, iam a pueritia, dolorem ob inopinatam parentum mortem experta est. Moribus simplicibus modestisque, admirationi erat omnibus qui in eam incidebant. Arti docendi se tradere cupiebat, nihilominus, cum famulatum nosocomiale committetur ei, prompte oboediit. Spem patefaciebat, fortitudinem et amorem erga omnes infirmos, quorum corporis ac animi dolori solacium adferebat. Spirituali in itinere, vim accipiebat praesertim a diuturna eucharistica adoratione et a meditata passione Christi.

Constans ac fervens virtutum consuetudo in ea eminet, praesertim fidei, caritatis, patientiae et humilitatis. Missa ad apostolicam activitatem exercendam in valetudinarium pagi *Elda*, indefesse pro infirmis operam dedit et ipsamet contagione phtisis est correpta. Ob suam liberalitatem *caritatis angelus* est appellata. Archangela mirabiliter coniunxit contemplationis usum una cum necessitatibus ingentis famulatus pauperum.

Serva Dei, morbo affecta, Deiparam invocans et desiderium declarans Christo occurrendi, mortua est in pago *Elda* die 27 mensis Novembris anno 1918.

Ob eius sanctitatis famam pervulgatam, Causa beatificationis et canonizationis apud Curiam ecclesiasticam Oriolensem-Lucentinam inita est per celebrationem Inquisitionis dioecesanae a die 18 mensis Decembris anno 1999 ad diem 30 mensis Decembris anno 2002, cuius auctoritas et vis iuridica ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 18 mensis Iunii anno 2004 probatae sunt. *Positione* confecta, die 11 mensis Maii anno 2010 locum habuit Sessio Consultorum Historicorum. Deinde disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 15 mensis Martii anno 2018, prospero cum exitu, locum habuit Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 2 mensis Octobris anno 2018, cui egomet ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Archangelae Badosa Cuatrecasas, Religiosae professae e Congregatione Sororum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 7 mensis Novembris a.D. 2018.

Angelus Card. Becciu
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Marcellus Bartolucci
Archiep. tit. Mevaniensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

SANTAREMENSIS

De Provinciae Ecclesiasticae erectione atque de sedis ad Ecclesiam Metropolitanam elevatione et de Provisione Ecclesiae.

DECRETUM

Maiori Christifidelium spirituali bono apprime studentes, sacrorum Antistites Brasiliae Episcoporum Conferentiae ab Apostolica Sede, unanimi consensu, expostulaverunt, ut dismembrato territorio Provinciae Ecclesiasticae Belemensis de Pará, quae multitudine civium ac numero dioecesium suffraganearum eminet, nova constitueretur Ecclesiastica Provincia Santaremensis nuncupanda.

Summus Pontifex Franciscus, Divina Providentia PP., praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Ioannis d'Aniello, Archiepiscopi titularis Paestani et in Brasilia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, preces ad Se admotas, Sanctae Matris Ecclesiae profectum ac animarum salutem prae oculis habens, excipiendas decrevit.

Quapropter, de plenitudine Apostolicae potestatis, idem Summus Pontifex quae sequuntur statuit ac decernit.

Santaremensem sedem episcopalem a Metropolitico iure Ecclesiae Belemensis de Pará seiungendam, ad fastigium Archiepiscopalis Metropolitanae Ecclesiae attollit eique iura et privilegia confert quibus ceterae metropolitanae sedes, ad normam iuris, gaudent.

Nova erecta Provincia Ecclesiastica Santaremensis efformabitur Metropolitana Ecclesia eiusdem nominis et circumscriptionibus Obidensi et Itaitubaënsi, hactenus Provinciae Ecclesiasticae Belemensi de Pará spectantibus, et Xinguensi - Altamirensi et Xinguensi Superiori - Tucumanensi in Brasilia, noviter erectis.

Idem Summus Pontifex Santaremensis pro tempore Antistitem dignitate archiepiscopali et gradu Metropolitae insignit atque iuribus et privilegiis cumulat quibus in orbe catholico Metropolitae, iuxta canonum normam, ornantur, oneribus pariter et obligationibus gravat quibus ipsi ligantur.

Praefatae sedis Santaremensis Praesulem, Exc.mum P.D. Irenaeum Roman, C.S.I., hac ipsa die a sedi titulari Serteitana et ab officio Episcopi Auxiliaris archidioecesis Belemensis de Pará ad hanc Ecclesiam Santaremensis translatum, ad dignitatem archiepiscopalem ac gradum Metropolitae promovet; iuribus ac privilegiis ornat quibus Metropolitae fruuntur atque ornantur et oneribus atque obligationibus nectit quibus iidem subiiciuntur.

Ad haec exsecutioni mandanda Summus Pontifex memoratum Exc.mum P.D. Ioannem d'Aniello deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis remittendi, quam primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Quibus super rebus praesens edi iussit Decretum per Apostolicas sub plumbo Litteras expediendum.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 6 mensis Novembris anno 2019.

Marcus Card. Ouellet
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Ilson de Jesus Montanari
A Secretis

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Sanctissimus Dominus Franciscus Pp., per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros praefecit Praesules:

die 4 Novembris 2019. — Metropolitanae Ecclesiae Turonensi Exc.mum P.D. Vincentium Jordy, hactenus Episcopum Sancti Claudii.

die 5 Novembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Bavagalianensi R.P. Darium Rubén Quintana, Ordinis Augustinianorum Recollectorum Sodalem, quem constituit Auxiliarem dioecesis Maris Platensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Ioannis-Longoliensi Exc.mum P.D. Claudium Hamelin, hactenus Episcopum titularem Apolloniensem et Auxiliarem dioecesis Sancti Ioannis-Longoliensis.

die 6 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Santaremensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Irenaeum Roman, C.S.I., hactenus Episcopum titularem Serteitanum et Auxiliarem archidioecesis Belemensis de Pará.

— Praelaturae territoriali Xinguensi Superiori-Tucumanensi in Brasilia, noviter erectae, R.P. Iesum Mariam López Mauléon, Ordinis Augustinianorum Recollectorum Sodalem, hactenus in archidioecesi Fortalexiensi Parochum.

— Cathedrali Ecclesiae Xinguensi-Altamirensi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Ioannem Muniz Alves, O.F.M., hactenus Episcopum Praelatum Xinguensem.

— Cathedrali Ecclesiae Cordubensi in Mexico Coadiutorem Exc.mum P.D. Eduardum Cyrillum Carmona Ortega, C.O.R.C., hactenus Episcopum Parralensem.

die 7 Novembris. — Archiepiscopali Ecclesiae Crotonensi-Sanctae Severinae R.D. Angelum Raphaëlem Panzetta, e clero archidioecesis Tarentinae, hactenus Theologiae Moralis Docentem necnon Praesidem Instituti Theologici Apuliae.

die 11 Novembris 2019. — Titulari Episcopali Ecclesiae de Giru Marcelli R.P. Nicolaum Petrum Luchok, O.P., Sodalem Ordinis Fratrum Praedicatorum, hactenus Priorem Conventi in oppido Leopolitano, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Munkacsiensis Latinorum.

die 14 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Burdigalensi Exc.mum P.D. Ioannem Paulum James, hactenus Episcopum Nannetensem.

die 16 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Calaritanae R.D. Iosephum Baturi, e clero archidioecesis metropolitanae Catanensis, hactenus Subsecretarium Conferentiae Episcoporum Italiae.

die 18 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Araucensi Exc.mum P.D. Iacobum Christophorum Abril González, hactenus Episcopum titularem Putiensem in Byzacena et Auxiliarem archidioecesis Neo-Pampilonensis.

die 19 Novembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Phelbesianae R.D. Albertum Figueroa Morales, e clero archidioecesi Sancti Ioannis Portoricensi ibique Vicarium Generalem, quem constituit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Sreveportuensi R.D. Franciscum I. Malone, e clero dioecesis Petriculanae, ibidemque hactenus Curionem paroeciae Christi Regis in oppido Petriculano, Cancellarium pro ecclesiasticis negotiis, necnon Vicarium Iudicialem adiunctum Tribunalis ecclesiastici.

die 20 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Limeirensi Exc.mum P.D. Iosephum Robertum Fortes Palau, hactenus Episcopum titularem Acufidensem et Auxiliarem archidioecesis Sancti Pauli in Brasilia.

die 21 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Bucarestiensi Exc.mum P.D. Aurelium Percă, hactenus Episcopum titularem Maurianensem et Auxiliarem Iasensem.

die 25 Novembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Serteitanae Exc.mum P. D. Martinum Laliberté, hactenus Societatis pro missionibus exteris Provinciae Quebecensis Superiorem Generalem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Quebecensis.

die 26 Novembris 2019. — Titulari Episcopali Ecclesiae Neptensi R.D. Ignatium Damianum Medina, in archidioecesi Bonaërensi Parochum, quem constituit Auxiliarem dioecesis Clivi Zamorensis.

— Cathedrali Ecclesiae Gariensi R.D. Robertum Ioannem McClory, e clero archidioecesis Detroitensis, ibique hactenus Curionem paroeciae vulgo «National Shrine of the Little Flower Basilica» in oppido vulgo Royal Oaks.

die 27 Novembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Itensi R.D. Dilmum Franco de Campos, e clero Formosensi, quem deputavit Episcopum Auxiliarem dioecesis Anapolitanae.

— Metropolitanae Ecclesiae Manaënsis Exc.mum P.D. Leonardum Udalricum Steiner, O.F.M., hactenus Episcopum titularem Thisiduensem et Auxiliarem Brasiliapolitanensem.

— Cathedrali Ecclesie Gandavensi Exc.mum P.D. Ludovicum Van Hecke, O.C.S.O., hactenus abbatiae vulgo nominatae Orval Abbatem.

die 2 Decembris. — Episcopum Coadiutorem Bemardinopolitanum Exc. mum P.D. Albertum Rojas, hactenus Episcopum Marazanensem et Auxiliarem Chicagensem.

die 3 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Gurcensis Exc.mum R.D. Iosephum Marketz, e clero Gurcensi, hactenus ibique de operibus caritatis Directorem necnon Vicarium Episcopalem.

die 4 Decembris. — Titulari Episcopali Ecclesiae Aulonitanae R.D. Zdzislaum Stanislaum Błaszczyk, e clero archidioecesis Cracoviensis, quem deputavit Episcopum Auxiliarem archidioecesis Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, ubi hactenus fuit paroeciae «Sào Pedro do Mar» Parochus.

ACTA TRIBUNALIUM

ROTAE ROMANAE TRIBUNAL

Rescriptum «ex Audientia SS.mi».

In riferimento al *Rescriptum ex Audientia SS.mi* del 7 dicembre 2015, in cui si stabiliva: «Come sollecitato dai Patriarchi delle Chiese Orientali, è rimessa ai tribunali territoriali la competenza sulle cause *iurium* connesse con le cause matrimoniali sottoposte al giudizio della Rota Romana in grado di appello» (Rescr. II, n. 4);

Il Santo Padre, *propter animarum salutem,* nell'Udienza concessa al sottoscritto Decano, ha ordinato:

I. Al Rescritto del 7 dicembre 2015, sopra menzionato, sia riconosciuta *efficacia retroattiva* in ordine alle cause *iurium* connesse con quelle matrimoniali;

II. La Rota Romana può giudicare *in via eccezionale* le medesime cause *accessorie* orientali connesse a quelle matrimoniali, per *avocazione* del Decano, a norma dell'art. 52 delle N.R.R.T.

III. Di questo Rescritto sia data pubblicazione in *Acta Apostolicae Sedis.*

Città del Vaticano, 13 novembre 2019

Mons. Pio Vito Pinto
Decano del Tribunale
della Rota Romana

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Sua Santità il Papa Francesco ha ricevuto in udienza in occasione della presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 14 novembre, S.E. il Sig. Martin Pascal Tine, Ambasciatore del Senegal;

Giovedì, 5 dicembre, S.E. il Sig. Igor Žontar, Ambasciatore della Bosnia ed Erzegovina;

Venerdì, 6 dicembre, S.E. il Sig. Henrique da Silveira Sardinha Pinto, Ambasciatore del Brasile.

Il Romano Pontefice ha altresì ricevuto in Udienza:

Venerdì, 8 novembre, S.E. il Sig. Gitanas Nausėda, Presidente della Repubblica di Lituania;

Martedì, 12 novembre, S.E. il Sig. João Manuel Gonçalves Lourenço, Presidente della Repubblica di Angola;

Sabato, 16 novembre, S.E. il Sig. Jorge Carlos de Almeida Fonseca, Presidente della Repubblica di Cabo Verde;

Lunedì, 18 novembre, S.E. il Sig. Nicos Anastasiades, Presidente della Repubblica di Cipro;

Giovedì, 28 novembre, S.E. la Sig.ra Kersti Kaljulaid, Presidente della Repubblica di Estonia.

Il Santo Padre ha compiuto una visita alle Catacombe di Priscilla, nel giorno 2 novembre; un Viaggio Apostolico in Thailandia e Giappone, nei giorni 19-26 novembre; una visita alla Cittadella della Carità in occasione del 40° anniversario dell'istituzione della Caritas diocesana a Roma, il giorno 29 novembre; una visita al Santuario Francescano di Greccio, nella Diocesi di Rieti, il giorno 1° dicembre.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Francesco ha nominato:

4 novembre 2019 S.E.R. Mons. Nicolas Henry Marie Denis Thevenin, Arcivescovo tit. di Eclano, finora Nunzio Apostolico in Guatemala, *Nunzio Apostolico nella Repubblica Araba d'Egitto e Delegato presso la Lega degli Stati Arabi.*

12 » » S.E.R. Mons. Gábor Pintér, Arcivescovo tit. di Velebusdo, finora Nunzio Apostolico in Bielorussia, *Nunzio Apostolico in Honduras.*

16 » » S.E.R. Mons. Gabriele Giordano Caccia, Arcivescovo tit. di Sepino, finora Nunzio Apostolico nelle Filippine, *Osservatore Permanente della Santa Sede presso l'Organizzazione delle Nazioni Unite (O.N.U.).*

30 » » S.E.R. Mons. Novatus Rugambwa, Arcivescovo tit. di Tagaria, Nunzio Apostolico in Nuova Zelanda, Fiji, Palau e Delegato Apostolico nell'Oceano Pacifico, *Nunzio Apostolico in Isole Marshall, Kiribati, Nauru e in Tonga.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Francesco ha nominato o confermato:

5 novembre 2019 Il Rev.do P. Corrado Maggioni, S.M.M., *Sotto-Segretario della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti «in aliud quinquennium».*

8 » » L'Ecc.mo Mons. Paul Richard Gallagher, Arcivescovo tit. di Hodelm, *Segretario per i Rapporti con gli Stati della Segreteria di Stato «in aliud quinquennium».*

» » » L'Em.mo Sig. Card. Dominique Mamberti, *Prefetto del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica «in aliud quinquennium».*

13 » » L'Ecc.mo Mons. Roland Minnerath, *Membro Ordinario della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali «usque ad octogesimum annum».*

» » » Il Rev.do Mons. Paolo Nicolini, *Vice Direttore gestionale-amministrativo della Direzione dei Musei e dei Beni Culturali del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano, titolare dei Settori Gestione, Amministrazione, Comunicazione e Servizi Interni «ad quinquennium».*

» » » Il Rev.do Mons. Paolo Nicolini, *Delegato per l'attività turistico, museale e culturale delle Ville Pontificie di Castel Gandolfo «ad quinquennium».*

14 novembre 2019 Il Rev.do P. Juan Antonio Guerrero Alves, S.I., Consigliere Generale della Compagnia di Gesù, *Prefetto della Segreteria per l'Economia.*

27 » » L'Ill.mo Dott. Carmelo Barbagallo, finora Funzionario Generale con l'incarico di alta consulenza al Direttorio della Banca d'Italia in materia di vigilanza bancaria e finanziaria e nei rapporti con il *Single Supervisory Mechanism*, *Presidente dell'Autorità di Informazione Finanziaria.*

NECROLOGIO

3	novembre	2019	Mons. Girônimo Zanandréa, Vescovo em. di Erexim (*Brasile*).
12	»	»	Mons. Victor Manuel Pérez Rojas, Vescovo em. di San Ferdinando de Apure (*Venezuela*).
13	»	»	Mons. Giorgio Corbellini, Vescovo tit. di Abula, Presidente dell'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica.
»	»	»	Mons. Fernando Torres Durán, Vescovo em. di Chitré (*Panama*).
15	»	»	Mons. Juliusz Paetz, Arcivescovo em. di Poznań (*Polonia*).
16	»	»	Mons. Bronisław Bembowski, Vescovo em. di Włocławek (*Polonia*).
19	»	»	Mons. Martinus Dogma Situmorang, O.F.M. Cap., Vescovo di Padang (*Indonesia*).
20	»	»	Mons. Andrea Jin Daoyuan, Vescovo senza giurisdizione Changzhi, Lu An (*Cina Continentale*).
28	»	»	Mons. Ernest Mesmin Lucien Cabo, Vescovo em. di Basse-Terre (*Francia*).
29	»	»	Mons. Joseph Antony Irudayaraj, S.D.B., Vescovo em. Dharmapuri (*India*).
1	dicembre	»	Mons. Paul David Sirba, Vescovo di Duluth (*Stati Uniti d'America*).
»	»	»	Mons. Miguel Esteban Hesayne, Vescovo em. di Viedma (*Argentina*).
4	»	»	Mons. Ján Eugen Kočiš, Vescovo tit. di Abritto, già Ausiliare dell'Esarcato Apostolico della Repubblica Ceca per i fedeli di rito Bizantino.
5	»	»	Mons. Pietro Brollo, Arcivescovo em. di Udine (*Italia*).